

LAUDEO


NIL DIFFICILE VOLENTI

ANTONII
MIZALDI MONLVCIANI,
DE MVNDI SPHÆRA,

ſeu Coſmographia, Libri tres:
figuris & demonſtratio-
nibus illuſtrati.

AD ILLVSTRISSIMAM PRINCIPEM
Margaretam Valeſiam, Biturigum Ducem.



LVTETIAE,
Apud Guilielmum Cauellat, in pingui Gallina, ex aduerſo collegij Cameracenſis.
M. D. LIII.
Cum priuilegio Regis.

ORONTII FINÆI, REGII Lutetiæ Mathematicarum profeſſoris, & illuſtratoris, proſopopœia ad Coſmographicum Mizaldi opuſculum.

HEVS, quò tam præceps, Mizaldi Sphærula, tendis?
Præſtaret latuiſſe domi: nam triſtis vbique
Inuidus oblatrat: cuius lacerabere morſu,
Ni tibi proſpicias: malè cognita tẽpora ſunt hæc:
Quæ multos gignunt, qui cùm nil ædere poßint
Dignum laude, tamen gaudent maledicere doctis:
Carpendíſque aliis famam venantur inanem.
Hos prudens refuge: & doctos inquire, bonóſque:
Illis ex animo (niſi me præſagia fallunt)
Grata eris: ac hilari vultu ſpectabere. vade,
Vade igitur fœlix, Mizaldi Sphærula, quando
Eſt tibi ſic viſum: & longißima tempora viue:
Authoríſque tui nomen diffundere perge.

ἐκ πόνου, ὁ κλέος.

ILLVSTRISSIMAE *Principi Margaretæ Valesiæ, Biturigum Duci, & Christianißimi Regis Henrici, sorori vnicæ, Antonius Mizaldus Monlucianus*

S. P. D.

DEMOCRITVS, Princeps illustrissima, furnariam casam aliquãdo ingressus, & ibi à suis inuentus cũ pauperculis Rusticis diutiùs ad ignem consedisse, variósque sermones hinc inde miscuisse: videns illos ob id admirari, ac pudore nescio quo suffundi: solito more subridens, introite & vos, ait, sunt enim & hîc etiam Dij. Quorsum hæc? nimirum vt ex isto tanti Philosophi apophthegmate, in promptu habeam, quod, inuersâ historiâ, sæculi huius Morosophis quamplu-

rimis opponam. Qui rustico nescio quo pudore acti, rusticè mirabuntur, quòd pauperculum literarum professorem libenter admittas, facilè audias, & cum illo in colloquium ingenuè descendas: tenuésque eius Musas non solum plausibili vultu excipias, sed quæcunque tibi scribunt, & candidè offerunt, candidiùs legas, ac relegas. His itaque, subridens, prudenter respondebo, legite & vos: sunt enim & hîc etiam Dii, Deorúmque cœlestium centuriæ innumerę. Imò verò, in media Cosmographicæ huius casulæ penetralia, cum illustrissima Principe irrumpite. Ibi, mundi cœlíque theatrum supra omne miraculū admirabile, spectaculúmque, supra omne id quod spectari potest, spectabile, videbitis, ac suspicietis. Cuius nullū artificem alium præter Deum Opt. Max. vlli

mortalium ponere,nec licet,nec fas
eſt. At,ſtructurã explicare,& admi-
rabilem Architectũ celebrare,nemi-
ni nõ conceſſum. In quo,cùm ſupe-
rioribus hybernis menſibus totus eſ
ſem,atque ſollicitè meditarer,cuinã
pręcipitatã,veriùs q̃ elaboratã ea in
re lucubratiũculam meã, deuouerẽ:
ecce, Fato meo bono,de multis vna
occurriſti,Princeps ornatiſsima,cui,
quidquid id eſt,ex animo cõmitte-
rem,ac cõſecrarem. Memini enim,q̃
iucũdè & humaniter,lapſis hinc an-
nis quatuor,Phęnomena mea,& aë-
rias Ephemerides, Latinè primùm,
deinde Gallicè (licet alteri nũcupa-
tas)exceperis,ac legeris:méque ante
dulciſsimũ conſpectũ tuum venire,
libẽter ſuſtinueris. Vbi,in inſtructiſ-
ſima omni genere librorum cellula,
Excellentiã tuã Muſis & Gratiis ſa-
cra facere,& eruditæ lectioni ſedulã

operã nauare, nõ ſine ingenti volu-
ptate animaduerti, deprehendi, & a-
pud me laudaui. Nemini impono,
quod verũ eſt dico. Quæ res, permul
tis os præcludere poterit, qui impu-
denter, veriùs q̃ prudenter inſultare
mihi ſolent, ꝙ Excellentiæ tuæ, Coſ-
mographicũ hoc meũ opuſculũ de-
uouerim. Vah (inquiũt) quid Princi-
pi virgini cũ literis? quid Regis filiæ,
Regis ſorori, & Reginę nepti, cũ Phi
loſophia, & Mathematicis? ô vanas
cogitationes! Quaſi verò literarũ ſtu
dia, ad ſolos pauperes relegata ſint:
nouúmque eſſe debeat, ac prodigii
loco habendũ, quòd hodie Reginæ,
& Principes virgines, Heroides item
ac nobiles fœminę, literis ornatiores
eſſe malint, q̃ pompa ac faſtu: quòd
virtutibus inſigniri ſanctiùs habeãt,
quàm titulis & imaginibus nobili-
tari: quòd Philoſophicis diſciplinis

animum excolere rectiùs ducant, quàm luxu frangi, & delitiis tabescere: quòd Vniuersitatis mundi pulcherrimã Architecturã, Cosmographiam (inquã) præ oculis habere, & animo circunferre, ac legere potiùs eligant, quàm vanis spectaculis sese dedere: quæ, sicuti mentem eneruãt, ita bonos mores deploratè perdunt. Præclarè itaq; facis, ac prudẽter vitã instituis, Princeps nobilissima, dum spretis istis Nobiliũ, & veræ Nobilitatis iniquissimis iudicibus, animũ virtutibus, ac disciplinis excolere satagis: & eruditos omnes illorũque lucubrationes, libẽter admittis: ac tristes à te abire nõ sinis. Hac sanè via, nuper extinctus, quid inquã extinctus? imò verò apud omnes omnium nationũ scholas, perpetuò victurus Christianissimus pater tuus Franciscus, Nauarrorũque Regina, ami-

ta tua incomparabilis, ſolida ad immortalitatẽ fundamenta ſibi iecerũt: Quæ & tueri, & promouere, tantarũ virtutũ hęres Chriſtaniſs. Rex noſter Henricus, quibus poteſt modis, progreditur. Cuius veſtigiis, quantũ licet, pulchrè inhæres. Dominus, qui facientes adiuuat, & Regũ, ac Principum corda in manu habet, vtriuſque conatus augere, & propenſam in literas & literatos voluntatẽ hãc, ſemper nobis ſeruare dignabitur. Faciétque, vt præſentem meam fœturam de mundi Sphæra, & Coſmographia, in tuo nomine diuulgatam, amare pergas, ac probare. In quo fœliciter valebis, Princeps illuſtriſſima, ac, Mizaldum, ſiquidẽ dignũ ducis, fouere incipies. Lutetiæ, poſtridie reparatæ ſalutis humani generis per Ieſum Chriſtum Crucifixum,

1552.

TRES LIBELLI ANTONII Mizaldi, de mūdi Sphæra, siue Cosmographia, hæc in summa habent,

PRIMVS ostendit omnia prouidentia gubernari: probátque Deum rerum mūdi vniuersarum authorem, tam sursum, quàm deorsum pro arbitrio dominari. Habet insuper mūdanæ Sphæræ descriptionem per singula elementa, ipsúmque cœlum breuissimã: necnon pulcherrimas demonstrationes, quòd terra sit figuræ rotundæ, vti etiam aqua: quæ duo vnum globulum constituunt. Adhæc, quòd eadem cẽtrum sit Vniuersitatis: in cuius meditullio, absque vllo motu, suspensa libratur: & quòd sensibilem magnitudinem non habeat, si toti mundo, atque adeò supremo cœlo conferatur. Postremò, quòd cœlũ ipsum omnia mundi elementa, résque omnes inferiores, intra se, sub orbiculari figura cõcludat. Ex quibus omnibus elegans πόρισμα, siue corollarium elicitur: quòd toti mundo sphærica figura appositissimè quadret: ipsúmque totum, siue Vniuersum, sanè quam rectè, mundi Sphæra nuncupetur.

Huius libri præcipua summáque capita, hac digeruntur serie.

PRopositio in totum opus, cum breui enumeratione rerũ in illo scribendarũ: cui post inuocationẽ, apta ad narrationẽ subtexitur Parasceue.

Quid mundus,& quòd Deus lateat in omnibus eius partibus, quæ vnũ admirabile corpus constituunt,quod Vniuersum vocât. Adhæc,quòd omnia,tam sursum,quàm deorsum,summa prouidentia,ac ratione dispenset.

Mũdi,seu Sphęræ totius Vniuersi,diuisio breuissima in elementarẽ regionẽ, quę quatuor corpora simplicia cõplectitur:& æthereã,quę nũc cœlum, nũc quĩta essentia, vulgò à Philosophis dici solet.

Elemẽtaris regionis descriptio sanéquã dilucida, breuis,& accurata:& in primis terrę,ac partiũ ei⁹.

Terrã in meditullio mundanæ Sphęræ,seu Vniuersi,stabili põdere,absque vllo motu, sub orbiculari figura librari,ac firmiter pendêre.

Terrã mundi totius,siue Vniuersi centrũ esse:& quòd sensibilem magnitudinẽ non habet, ad totũ mundum collata:cuius respectu,puncti vicem iure obtinere censetur.

Terrã orbicularis esse figurę,globosę,ac rotũdę.

Aquæ locus, & descriptio pulcherrima, eáque breuissima:cum eius natura,& energeîa.

Aquã orbicularis esse figuræ, ac globulum vnũ cum terra facere.

Aëris, & regionum illius locus, descriptióquę elegans,breuis,ac dilucida.

Ignis locus,& descriptio sanéquã pulchra:cũ his quæ ad illum pertinẽt, & ex illo fiunt, ac cõstant.

Cœlum esse vndique sursum:cui iamiam descripta mundi elementa omnia substernuntur,nedum

ſola terra. Adhæc, quòd figuram habeat orbicularem, non abſque iuſta ratione.

Quòd Sphæræ nomen mũdo, de quo hactenus, perappoſitè quadret: ipſúmque totũ, ſiue Vniuerſum, Sphęra mũdi, ſanequàm rectè nuncupetur.

FINIS LIBRI PRIMI.

SECVNDVS liber habet numerũ, ordinem, ſitum, nomina, & motum cœleſtium ſphærarum: aliáque ad illas pertinentia: cum pulcherrima delineatione omnium circulorum, tam maiorum, quàm minorum: ex quibus cœleſtis Sphæra compingi vulgò imaginatur: non neglecto vſu, natura, ſitu, ac ratione ſingulorum.

Huius præcipua, ſummáque capita, hac digeruntur ſerie.

BReuis propoſitio, & nomenclatura rerũ deſcribendarum: cũ abrupta inuocatione, viam ad narrationem vtcunque faciente.

Quid cœlum, & quibus rebus in genere cõſtet: ſiue quas in partes vulgò diuidatur.

Cœlum ac Sphæras cœleſtes, inferiora omnia circuncludere: eáque ſecum (excepta terra) perpetuò rapere: vbi de motu primi orbis, ſeu ſummi mobilis, non pauca.

Cœleſtes ſphæras omnes, ab Oriente, per Meridiem in Occaſum, intra horas quatuor & viginti, quotidie volui, ac reuolui.

Cœleſtes Sphæras alium habere motum à iam poſito:& quòd propria vi in ſupremũ, ſummúmque cœlum nitantur:ab Occaſu, per Meridiem in Orientẽ orbiculari inceſſu tẽdendo. Vbi de motu, numero,& ordine cœleſtiũ orbium. Adhęc, quanto tempore ſuam reuolutionẽ Sphęra quælibet, vi propria,& motu cõgenito abſoluat,ac perficiat.

Cœleſtes Sphæras omneis, & illarum itẽ ſtellas vniuerſas, ex quibus tota cœleſtis machina coaleſcit,à ſe,& ſuis formis naturali motu agi, ac moueri,non violento.

Cœleſtium Sphærarũ magnitudines varias eſſe, vti etiam motus. Vbi de miranda velocitate primi mobilis,ſeu ſummi, & ſupremi cœli.

Cœleſtis Sphæræ,& itẽ mundanæ,centrũ,axis, & poli:circa quę tam reuolutiones,quàm motus, ſurſum fieri imaginamur.

Cœleſtis Sphæræ,vti etiam mundanæ,polos duplices eſſe.

Sex maiorum circulorum cœleſtis Sphæræ (qui de multis aliis præcipui habẽtur) deſcriptio,vſus, natura,& ſitus. In primis Zodiaci,ſeu obliqui circuli: quem & vitæ, & interitus viam,perappoſitè dixerunt Peripatetici.

Æquatoris,ſeu Æquinoctialis circuli deſcriptio, vſus,natura,& ſitus.

Meridiani circuli deſcriptio,vſus,natura,& ſit⁹.

Duorũ Colurorũ, Solſtitii ſcilicet vtriuſque, & Æquinoctii,deſcriptio,vſus,natura,& ſitus.

Admonitio in præcedentia,& ſequentia.

De quibuſdam aliis circulis maioribus cœleſtis Sphæræ: ſed minùs præcipuis,ac neceſſariis.

Quatuor circulorum minorum cœleſtis Sphæræ (qui de multis aliis vulgò celebres habentur) deſcriptio,vſus,natura,ac ſitus.Et in primis Tropici Cancri,ſiue Æſtiualis circuli,& Solſtitialis.

Tropici Capricorni, ſiue Brumalis circuli, & Solſtitialis,deſcriptio,vſus,natura,& ſitus.

Admonitio in præcedentia,& ſequentia.

Circuli Arctici, ſiue Borealis, deſcriptio, vſus, natura,& ſitus.

Circuli Antarctici, ſiue Auſtralis, deſcriptio, vſus,natura,& ſitus.

Admonitio non negligenda.

Quatuor nunc deſcriptos, & poſitos minores circulos, totum cœlum in quinque ſpatia dirimere, quæ zonas priſci Aſtronomi ritè nuncuparunt.

Minores alios circulos à iam dictis,& poſitis,in cœleſti Sphæra imaginari,ac deſcribi.

Nullos circulos, ſiue maiores, ſiue minores illi fuerint : nec item polos, & axem, motum in cœlo vllum ex ſe habere, & agnoſcere. Imò re vera nequaquam ibi ſubſiſtere : quin potiùs ſurſum commentitios omneis eſſe : quorum ingenioſa excogitatio, ſummis laudibus vbique eſt proſequenda.

Cœleſtem Sphærã, hiſce iam poſitis circulis multiplicibus circunſcriptam, duplicem eſſe: ſiue dupliciter reſpectu terræ imaginari.

Quid Sphæra recta: & quinam propriè ſub illa habitare dicantur.

Quid Sphæra obliqua: & quinam propriè ſub illa habitare dicantur.

FINIS LIBRI SECVNDI.

TERTIVS liber, deſignationes omniũ circulorum cœleſtis Sphęræ, tam maiorũ, quàm minorũ (ſuperiore libro deſcriptorũ) figurat, & demonſtrat: partibus etiamnũ expreſsis imaginũ octauæ Sphæræ, per quas circuli ipſi hodie trãſire exiſtimantur. Exhibet præterea Geographica quędam, ex eodem ſuperiore libro, tam deprõpta, quàm pendentia: de zonis terreſtribus, climatibus, locorum longitudinibus, & latitudinibus, mẽſuris item, & aliis ad Geographicam lectionẽ, & vſum ſummopere conducentibus.

Huius præcipua, ſummáque capita, hac digeruntur ſerie.

SEx maiorum circulorũ cœleſtis Sphæræ, antea deſcriptorũ, deſignationes pulcherrimæ, vt in cœlo eſſe illos hodie imaginamur: & à ſe inuicẽ diſtinguere poſſumus. Quæ deſignationes, ſicuti ſimulachrorum octauæ Sphæræ partes & loca (per quæ hodie ipſi circuli agũtur, & trãſeunt) dilucidè

ob oculos ponũt: ita totam cœli faciem nobis familiarem, ac perſpicuam reddunt.

Zodiaci deſignatio, vt hodie illum in cœlo eſſe imaginamur: qua duce, & ab aliis circulis, per ſerenã noctẽ, facilè poſthac diſtingui poterit, & ſuas res ob oculos, minimo negotio, cuiuis deponere.

Æquatoris deſignatio, vt hodie illum in cœlo eſſe imaginamur, qua duce, &c.

Meridiani, et Horizõtis deſignatio, vt hodie, &c.

Coluri Æquinoctiorũ deſignatio, vt hodie, &c.

Coluri Solſtitiorum deſignatio, vt hodie, &c.

Circuli Lactei, qui inter cœli circulos maiores à plærisque recenſetur, deſignatio: vt hodie ab omnibus ſpectatur.

Ratio nomenclaturæ eiuſdem circuli, varia ac multiplex.

Quatuor minorum circulorũ cœleſtis Sphæræ, vt hodie illos eſſe imaginamur in cœlo, & ab aliis diſtinguere poſſum⁹, deſignatio pulcherrima, quę ſimulachrorũ octauæ Sphæræ ſtellatorũ, loca, per quæ hodie ipſi circuli tranſeunt, dilucidè ob oculos ponit, ac profert.

Circuli Arctici, ſiue Borealis deſignatio, vt hodie illũ in cœlo imaginamur: & ab aliis circulis per ſerenam noctẽ diſtinguere, ac ſecernere poſſumus.

Tropici Cancri deſignatio, vt hodie, &c.

Tropici Capricorni deſignatio, vt hodie, &c.

Circuli Antarctici deſignatio, vt hodie, &c.

Admonitio non aſpernanda, in iam dicta.

Quinque terrestium zonarum, quæ totidem parallelis in cœlo respondent, & præcipuas mundi regiones constituunt, descriptio, temperatura, situs, & proprietas.

De Antipodibus, Periœcis, & Antœcis.

Admonitio breuissima.

Terram vbique habitabilem esse, contra plærosque: ac nullas hodie terrestres zonas, siue mundi partes & regiones inhabitabiles dici debere.

De mundi climatibus, & illorum distinctoribus parallelis: cum recepta cuiusque ratione, & nomenclatura. Insuper, quòd plura climata quàm septem statui debeant.

Locorum longitudines quomodo excipiendæ, & distinguendæ.

Locorum latitudines quomodo excipiendæ, & distinguendæ.

De gradibus longitudinum Geographica quædam.

De gradibus latitudinum Geographica quædã.

Geographicarum mensurarum, ordo, & nomenclatura.

FINIS LIBRI TERTII
& vltimi.

ANTONII MIZALDI MONLVCIANI

DE MVNDI SPHAERA, SIVE Cosmographia, Liber primus.

QVÆ sit mundanæ sphæræ structura, quis author, PROPOSITIO.
Quo digesta modo veniant elementa, quid illis
Sit proprium, quæ vis summè miranda, quis ordo
Cœlorum, quinam motus, quæ forma, quot orbes,
Deinde quibus cyclis cœlestis machina constet,
Quos præstent vsus, & quo sint ordine sursum,
Quas habeant sedes hodie, per quæ astra ferantur,
Et quid conueniat cum cœlo denique mundus
Hîc canere, & breuiter, claréque ostendere cuiuis
Incipio: ex imis repens ad summa, Deúmque
Ostendens passim manifesto numine spargi:
Ac regere ingentem concordi fœdere molem.
Ardua res sanè, nostris quoque viribus impar:
Audebo tamen, & mundi rectore vocato
Aggrediar: spernit virtus infracta labores.

INVOCATIO.

Ergo, ſumme pater rerum, Deus optime, cuius
Tam pulchrũ, támque immenſum ſapientia mũdũ
Condidit ex nihilo, & regit, aſsiduéque tuetur,
Dexter ades: paruúmque, tua bonitate, Poetam
Aſpice: qui cœlos dum geſtit ſcandere, quando
Et laudes celebrare tuas, tua pangere regna,
Omni conatur ſtudio, & molimine, nugis,
Quas tulit in Latium mendaci Græcia verſu,
Nõ eget: aut Phœbo, aut Parnaſo, aut fõtibus vllis,
Doctiloqui quoſcunque ſolent haurire Poëtæ:
Solum te ſitiens, cui cœlum, & ſydera parent.

Quid mundus: & quòd Deus lateat in omnibus eius partibus, quæ vnum mirabile corpus conſtituunt, quod vniuerſum nuncupant. Adhæc, quòd ille pro arbitrio vniuerſa tam ſurſum, quàm deorſum regat, ac ſumma prouidentia, & ratione diſpenſet.

NARRATIO cum dilatata demõſtratione, & mundi diffinitione.

QVicquid vbique vides, aër, cœlum, mare, terra,
Vnum conſtituunt ſub mundi nomine corpus:
Cuius membra, licet variè diſtincta putentur,
Sunt cognata tamen miróque in fœdere perſtant:
Atque Dei numen ſpirant, paſsímque fatentur.
Quod ſi non eſſet, ſi non bene nexa maneret

Machina, cœlestis verbo fabricata magistri:
Nec tantam mundi regeret Prudentia molem,
Præcipiens concors vt sit discordia: certè
Non esset statio terris, non ambitus astris:
Hæreretque sibi mundus, standóque rigeret.
Non sua dispositos seruarent sydera cursus:
Nóxque alterna diem fugeret: rursúmque fugaret:
Séque suis peterent vinclis elementa solutis.
Non Phœbus terris lucem, radiósque calentes,
Non generandarum præberet semina rerum.
Aëra finitimum consumeret impiger ignis:
Non tempestiuas pluuias demitteret aër:
Nuda foret tellus: æquórque extingueret ignem:
Aut igni potiùs piscosum aresceret æquor.
Non imbres alerent terras: non æquora venti:
Non pelagus fonteis: nec staret summa per omneis
Par semper parteis, æquo digesta parente:
Vt neque deficiant vndæ, nec sydera nobis:
Nec cœlum iusto maiúsue, minúsue feratur:
Nec solitum permutet opus. Sic omnia toto
Dispensata manent mũdo, dominúmque sequũtur.
Est igitur Deus, ac ratio, quæ cuncta gubernat.
Cur nos dispositis vicibus consurgere Signa,
Et velut imperio cœptos absoluere cursus
Cernimus? ac proprios semper remeare per orbes?
Cur eadem æstiuas exornant sydera noctes?

Prouidentia omnia gubernari, ac ratione, nec frustra.

Demõstratio pulcherrima, quòd omnia, à Deo, Ratione, & mente diuina gubernantur, cõtra Epicureos.

Semper & hybernas eadem? certámque figuram
Quiſque dies ponit mundo, certámque relinquit?
Non Deus eſt author, qui non mutatur? & à quo
Non alium vidêre patres, aliúmue nepotes
Cernent? quis prohibet Solem decurrere ad Arctos,
Aut mutare vias, aut cœptos vertere curſus?
Quis vetat excidere in terram pendentia ſurſum
Aſtra, ac tellurem mediis obuoluier vndis?
Non Deus eſt author, qui nõ mutabitur vnquam?
Vi diuina mundũ regi. *Ergo opus hoc immenſo conſtructũ corpore mundi,*
Membráque naturæ diuerſa condita forma,
Vis diuina regit: verbóque, & numine, mundi
Omnigenis rebus ſphæram locupletat, alítque:
Fœcundat, mouet, ac tacita ratione gubernat.

Mundanæ ſphæræ, ſeu Vniuerſi, breuis ac compendioſa diuiſio.

Duplex mũdi diuiſio. M*Vndus in æthereum (qui deſuper imminet) orbem,*
Inque elementorum (quæ ſubſunt) corpora, rectè
Diuiditur: veluti veteres ſcripſere magiſtri:
Poſtremum paucis ſtringemus verſibus: illinc
Ceu gradibus factis, & ſtrato limite, curſim
Ex imo, ad ſummi ſcandentes culmina cæli.
Ergo, elementaris mundus, telluris, & vndæ,
Aëris, ac ignis comprendit corpora: quorum

Ordine naturæ breuibus descriptio verbis
Hæc tibi tradetur, patientem si dabis aurem.

Mundi ætherei, ac elementaris pictura & demonstratio.



Terræ, & partium eius descriptio pulcherrima, eáque breuissima.

HVmani generis tellus possessio, pro qua
Tot rixæ, & cædes, & prælia, dāna, dolores
Surgunt: Oceani circúmque, intráque sonante

Terræ circunscriptio, & situs.

Alluitur fluctu paßim: ac, velut insula, toto
Eminet è ponto: & mediis stans extat ab vndis:
Non immersa, volente Deo, cui summa potestas
In terram, mare, cœlos, aëra, denique flammam.
Hāc, multæ & variæ species hominū, atq; ferarū,
Aëriæque colunt volucres: pars eius ad Arctos
Aspicit: Austrinis pars est habitabilis oris:
Pars tenet occasum pars denique vergit ad ortum:
Sub pedibúsque iacet nostris, supráque videtur.
Hanc circa roseis noctésque, diésque quadrigis
Sol vehitur: sed nox aduersa in parte creatur.
Illa, sinu nitidis distinctas floribus herbas,
Et varios promit non vno è semine fœtus:

Terræ ī suas partes distributio.

Cui montes insunt, colles, cliui, tumulíque,
Conualles, campi, rupes, fauces, iuga, rura,
Syluæ, stagna, lacus, fontes, fluuij, atque paludes,
Stirpes, & flores: necnon animalia quæque:
Vrbes, & pagi, fructus, villæ, oppida, vites,
Saxa, metalla, Ceres, vitæ opportuna tuendæ:
Queis vnum (bonitate sua) natura, Deúsque
Præposuere hominem: & regem fecere timendum.
Hæc sanè reliquis infirmior est elementis:
Debiliórque: etenim si discindatur ab æstu,

Terræ infirmitas cum aliis elemētis collata.

Aut ferro, aut alia quauis ratione, redire
In sese nequit: ac diductas iungere parteis.
Ast aqua, si fuerit diuisa, recurret in vnum

Extemplo: & rursus veluti prius integra fiet.
Sic aër, sic ipse ignis dum dilaniantur,
Cumprimùm coëunt, dissectáque mēbra reducūt:
Ac remanet facto de vulnere nulla cicatrix.
Vnde hoc? nimirum, quia sunt meliora, magísque
Perfecta: & propria possunt virtute moueri.
Tota hodie tellus partes narratur habere
Quattuor: Europam, dico, Libyámque, Asiámque,
Necnon Americam à primo inuentore vocatam.
Europe recipit nostratia Gallica regna:
Quattuor in partes diuisa: Aquitanica prima est:
Celtica consequitur: deinde & Narbonica: necnon
Belgica: quæ Borei pelagi se extendit ad oras.
Nil sequor vlterius: ne quis me iure notare
Poßit: quòd fines positos mihi, denique metam
Transiliam: ergo memor cœpti, me colligo tandem.

Terræ, seu orbis terrarum partes quatuor.

Terram in meditullio mundanæ sphæræ, seu vniuersi, stabili pondere, absque vllo motu, sub orbiculari figura librari, ac firmiter pendêre.

QVòd verè medium mundi sit terra, probari
Inde potest, quia ad illam sedulò quæque recurrunt,

Terrā mundi medioxumum constituere demōstratur.

Quæ vel labuntur, vel tendunt rite deorsum,
Ceu ad centrum, in medio defixum corpore mundi,
(Ad quod κοσμοποιητὴς iussit grauia omnia ferri,
Ac naturali motu illinc cedere nusquam.)
Vnde, ferè cunctis terra est immobilis, ac se
Sustinet in medio, & propria grauitate tuetur.
(Vt visum est illi, qui temperat omnia nutu)
Vndiq; enim in centrũ cõcurrit prona, globúmque
Explet cõpactum, densum, solidúmque, & opacũ:
Cui nulla est leuitas, grauitas quãplurima, necnon
Tanta, vt nemo aliquo posit comprendere sensu.
Quòd si tu leuiora, eadem mihi mobiliora
Ponis, si terræ globulum leuitate carere

Terram esse grauẽ, stabilem, põderosam, ac immobilẽ demonstratur.

1. *Annuis: huic certè nec punctum mobilitatis*
Ascribes: quapropter erit grauis, & sine motu.
2. *Amplius, ille pater rerum, mundíque creator*
Omnia, quæ fecit, voluit motu, atque quiete
Distingui: tellurem (mundi imum, mediúmque,
Circa quod cælum tot iam peruoluitur annis)
Vna quies tenuit: possedit cætera motus.
Vnda fluit, sempérque aër agitatur, & ignis
Non manet, ac stabili nescit statione morari.
Præcipuè tamen in cœlo est vis maxima motus,
A quo, quæ subsunt, cuncta inferiora mouentur:
Vt tibi perspicuè posthac monstrare studebo.
3. *Præterea, motum quiduis certa ratione*

Debet ad immotum componi,& rite referri:
Vt nosci inde queat motus, valeátque notari
Totius mundi harmonicus consensus ad vnguem.
Iam, cùm ipsum cœlum aßiduè moueatur, habebit
Verè opus immoto, & defixo corpore: qualis
Censetur tellus: ergo est immobilis, atque
Vnam de cunctis retinet mediam vndique sedem
Immensi mundi, ac librato pondere pendet.
Quod te non valdè turbet, cùm pendeat orbis
Cœlorum, in nullo ponens vestigia fundo:
Vt de perpetuo constat, celerique rotatu
Illius: & motu vario rerum variarum,
Quas habet, atque palam depromit nocte, diéque.
Hinc suspensus abit Phœbus cursu moderato,
Cũ Luna, & stellis, mũdũ lustránsque, fouénsque.
Cœlum ergo pendet sursum, tellúsque deorsum:
Quæ nisi librato media esset pondere, certè
Non ageret cursum, reliquis subeuntibus astris,
Phœbus ad occasum, ac nunquã remearet ad ortũ:
Cynthia nec celeres regeret per inania bigas,
Nunc illos infrà irradians, illos modò suprà:
Nec matutinis fulgeret Lucifer horis:
Hesperus, immerso dederat qui lumen Olympo.
Est igitur mediam mundi sortita cauernam
Tellus: & toto pariter sublata profundo,
Immota, ac stabilis, fixóque in pondere pendens.

Terram in medio mũdi libratã pendêre, nihil miraculi habere.

Terram in medio vniuersitatis mũdi pendêre immobiliter, demõstratur.

Cõclusio superiorũ demõstrationũ.

Nec patulas diſtenta plagas, ſed condita in orbem
Vndique ſurgentem pariter, paritérque cadentem
Cum vaſto pelago: veluti mox ſcribere pergam.

Terram in medio mundi, quieſcere, ac librari: quæ pictura etiam capiti ſequenti ſeruiet.



Terram mundi totius (ſiue Vniuerſi) centrum eſſe. & quòd ſenſibilem magnitudinem non habet ad totũ mundum collata, cuius reſpectu, puncti vicem iure obtinere cenſetur.

Duæ demõſtrationes, quòd terra ſit mũdi centrum & mẽdiũ, aliæ à ſuperioribus.

Svnt variæ cauſæ quòd tellus debeat vſque
Mundi totius centrum, mediúmue vocari:
Terricolis etenim ſublimia ſydera quæque
Exortum, occaſum, & ſummũ retinentia cœlum,

Mole sub æquali semper spectantur vbique:
(Si fumos tollis, nebulas, sparsósque vapores,
Qui maiora solent mentiri corpora quàm sint)
Quod nusquam fieret, ni mundi terra teneret
Centrum, cum vasto pelago: quod partibus æquis
A summo cœlo, & stellis distare videtur.
Adde, quòd à quocunque loco, & quauis regione
Terræ, dimidium cœlum infrà semper habetur,
Et suprà: quod fit, quia tellus infima verum
Illius est centrum: reliquas causas reticebo
Scriptas à multis, cœli mundíque peritis:
Quos (tibi dum meliora paro) fac sedulò voluas,
Aut doctos adeas facili bonitate magistros.
His positis, aliud cupio te noscere, nempe
Molem sensibilem ad mundũ, cœlúmque supremũ
Terræ nullam esse: vt stellarum ostendere possunt


Demonstrationes, quòd terra sensibilem magnitudinem nõ habeat ad cẽtrũ mũdi.


Aspectus varij, inuariatæ denique turbæ 1.
Cœlestes, quemcunque locum calcaueris orbis: 2.
Necnon dimidium cœli visum: insuper vna 3.
Austrinas Vrsas quærentibus, vsque polaris
(Vt Boreas etiam) variatio facta meando: 4.
Necnon astrorum: pariter mutatio lucis,
Ac noctis: iunges, quòd sydera cuncta videntur 5.
Per totum mundum (cum Luna demito Solem)
Parua: licet terra multò maiora ferantur:
Si Stilbonta vnum aufers, & Lunã, Venerémque.


Ni contentus abis, rursum proponimus, orbe
6. *Terrarum toto simul Æquidialia facta:*
Quódque mathematica inueneru͂t organa: quorum
7. *Centrum cum mundi centro prorsum esse videtur,*
Porrò, credibile est, quòd si quis scanderet orbem
8. *Lunæ, aut Mercurij, prospectarétque deorsum,*
Terram ne minima, imò nulla ex parte videret:
Quanuis huic etiam Phœbeam lampada donet:
Nam tota ad cœlum exigui puncti instar habetur.
De stellis secus est seu fixæ, siue vagantes
Hæ fuerint: rutilo quas sursum lumine paßim
Obseruamus: habent etenim sua corpora, terra
Maiora: Hermetem tollu͂t, Lunam, Venerémque.
Cætera (si quæ sunt) librorum lectio docta
Explebit: quando non omnia possumus omnes.

Stellas ferè omnes terra esse maiores

Stellas ſæpe æquales apparere circa terram, ni viſus impediatur.







Reliquæ demonſtrationes petendæ ſunt ex ſequentibus picturis.

Terram orbicularis eſſe figuræ, globoſæ, ac rotundæ.


Sphærica telluri (Vt cœlo) datur Vndiq; forma. Variȩ demõ-
Cui neq; principiũ eſt Vſquã, nec finis in orbẽ. ſtrationes q̄
Idcirco terris non omnibus omnia Signa terra ſphæricæ ſit figuræ.
Conſpicimus: nuſquam inuenies fulgere Canopum, 1.

Donec Niliacas per Pontum veneris oras.
Sic quærent Helicen, quibus ille superuenit ignis:
Nam laterum tractus teretes, sparsíque tumores
Eripiunt terræ cœlum, visúsque coërcent.
Lunæ eclipses omnibus eodẽ nõ apparere tempore. *Te testem das Luna tui glomerabilis orbis,*
Quæ cùm mersa nigris per noctem deficis vmbris,
Non omnes pariter confundis sydere gentes:
Sed priùs Eoæ quærunt tua lumina turbæ:
2. *Pòst, medio subiecta polo quæcunque coluntur:*
Vltima ad Hespèrios pullatis volueris alis:
Seráque in extremis quatiuntur gentibus æra.
Quòd si plana foret tellus, simul icta per omnem
Deficeres mundum, toto spectabilis orbe:
Sed, quia per teretem deducta est illa tumorem,
His modò, pòst, illis appares, Delia, terris
(Vt Sol, & quæuis cœlorum sydera ferme)
Exoriens simul, atque cadens: quia ferris in orbem
Ventris: & accliuis pariter decliuia iungis,
Atque alios superas gyros, alióśque relinquis.
3. *Addo, quòd formam præ se fert corporis vmbra:*
Per Lunæ eclipses totas spectatur ad vnguem
Terreni globuli proiecta vmbra esse rotunda:
Ergo rotũda manet tellus, & sphærica ad vnguẽ.
4. *Insuper, ipse polus mundi surgítque caditque,*
A Borea oppositum rectà quærentibus Austrum:
5. *Eoísque citò, Hesperiis tardè astra videntur:*


Quod tumor vnus agit telluris ſphæricus: ex quo
Rurſum colligitur terrarum forma rotunda.
Siquæ ſunt aliæ cauſæ, vt ſunt, lectio docti
Aſtronomi expediet, cum viua voce magiſtri.

Doctorũ authorũ lectio multa docet, quæ verſib᷒ tradi renuũt.


Primæ demonſtrationis, & item quintæ, pictura, quam ad ea, quæ de Horizõte, & ſphæra recta, ac obliqua lib. 2. deſcribuntur prudenter aptare poteris.



Secundæ demonstrationis, & quartæ, pictura qualiscunque, non inelegans. Quæ etiam vsui esse poterit his quæ inferius tradentur.



Tertiæ demonſtrationis pictura.



Aquæ locus, & deſcriptio pulcherrima, eáque breuiſsima: cum eius natura, & energia.

IN faciem terræ procumbit aqua: & fluit intra Locus elementi aquę, & eius vſus.
Illius venas, vt fonteis excitet: vnus
Ac vapor exhalet ſurſum: qui ſedulò verſus
In pluuiam, terras ſaturat, fœcundat, alítque:
Aëráque ex ipſo ducentem ſemina paſcit.
Sub regione ergo craſſa, imáque aëris, vnda eſt:

Vnda (inquã) Oceani, quæ terram circuit omnem:
Angustóque freto Herculeas ingressa columnas
Diffundit sese longè, latéque pererrat,
Aquis nomina imponi à locis per quę transeunt.
Diuersum nomen retinens: vt sunt loca, per quæ
Transit, diuersa: historiis paßim celebrata.
Hæc terræ occultas perreptat adusque cauernas:
Et fluit, ac refluit semper: variúmque saporem
Accipit: vt varia est tellus, per viscera cuius
Irrequietam esse aquarũ naturam.
Tendit: ab hac longo iam tẽpore flumina manant:
Flumina, quæ pelago veniunt: iterúmque marinos
Ad fluctus properant, illinc reditura vicißim,
Vt tellurem onerent: deinde aëra: posteà sensim
Quà venêre, fluant: vis paucis plurima dicam?
Hac abeant, illac redeant, & agantur in orbem,
Aßiduè: vegeténtque (vt sanguis corpora) terrã.
Oceanum aquarũ parentem esse omnium.
Hinc fit, vt Oceano manet vis omnis aquarum:
Qui fluit, ac paßim refluit, noctésque, diésque
Scandit, descendit, turget, gignit, parit: ex quo
Vndarum genitor narratur vatibus esse.
Quascũq; orbis habet nymphas, hic ædidit omneis,
Partim sub terra, partim suprà, ingredientes:
Partim etiam grauidis de nubibus egredientes.
Sed meminisse decet, corpus telluris, & vndæ,
Terrã cum aqua vnum globulũ facere.
Vnum sphæralem globulum simul ædere: cuius
Parteis detexit diuúmque, hominúmque potestas,
Ad proprios vsus viuentum, stante figura.


Aquam orbicularis esse figuræ, ac globulum vnum cum terra facere.

Corpus aquæ totum, formã retinere rotundam Demonstrationes quòd aqua sit figuræ sphæricæ.
Ostendit signum positũ propè littora Ponti,
Soluente à portu naui, longéque fluente.
Nam sensim visum refugit: séque eripit vltro 1.
Ex nostris oculis, medio surgente tumore
Æquoris, in quocunque loco sedem tibi nauis
Præstet: idem poteris de ipsa quoque dicere naui, 2.
Cùm se dat ventis: nam stanti in littore, velox
Vanescit: quod aquæ donabis iure tumori.
Monstrabunt eadem scopuli visi, atque latentes. 3.
Si causas alias hic à me fortè requiris,
De tellure priùs conscripta, eiúsque figura
Consule: nanque vnũ globulum cõponere tradunt Terræ & aquæ globus, ac superficies eadem.
Cum terra immẽsum pelagus: quapropter vtrique
Ferme consimiles poteris subtexere causas.

Trium demonstrationum superiorum pictura.



Aquam & terram vnum globulum simul constituere.



Aëris, & regionum eius locus, necnon descriptio dilucida, breuis, ac pulchra.

Locus aeris, & natura.

ET terras, vndámque, vagus cõplectitur Aër,
Huc, illuc variè diffusus: & omnia paßim,
Ne detur vacuum, perreptans: déque vapore
Conformans pluuias, tonitru, igneis, nubila, flatus.

In aera vapores duplices ferri. Ad hæc quæ illic gignantur.

Quicquid enim tellure ima, atque fluctibus vndis
Exhalat: sensim huc mutato corpore fertur:
Idque, vapor solet esse duplex: leuis, aridus, vnus,
Vnde ignes fiunt varij, per inane volantes:
1 *De quibus haud pridẽ librũ vulgauimus amplũ.*
2. *Frigidus est alter, crassus, simul & grauis: ex quo*
Nunc rores bibulis latè funduntur in aruis:

Nunc atræ incumbunt nebulæ, conuallibus imis:
Aut plantis cœlo fusæ sparguntur, & herbis
Pergratæ pluuiæ: aut suspecto verbere grando 7.
Irruit: aut canis albescunt rura pruinis:
Aut niuibus montes longè, vastéque teguntur. Tres aeris regiones, & earūdem natura.
Hæc verò cuncta emittit circunfluus Aër,
Aptè distinctus triplici regione: suprema
Accipit æthereum vicino ex igne calorem, 1. Suprema aeris regio.
Necnon Vulcani semper sitit vsta camino.
Hîc vbi (si sicca & tenuis succenditur aptè
Materies) apparent astra cadentia cœlo:
Ignitæque trabes æstiua nocte micantes,
Atque alia id genus humanas turbantia mentes:
Vt sunt non visi regnis impunè Cometæ.
Pars media (vt scribūt) verè est gelidißima: necnō 2.
Semper ab inflexu radiorum amota, malignum Media aeris regio.
Frigus, & algentem latè complexa rigorem.
Hîc fiunt pluuiæ, nubes, ac fulmina, sæuo
Cum tonitru: variique agitantes nubila venti.
Infima pars calida est, atque humida: nā vapor illā 3.
Humectat, liquidis exhalans iugiter vndis: Infima aeris regio.
Ac Solis radiis, sic vel sic, vsque reflexus
Calfacit: vt cœlū atque solum permittit, agítque:
Ergo, æquè patiens est frigoris, atque caloris:
Alternásque vices, alterna sorte rependit:
Vere tepens, æstate calens, eadem horrida bruma.

Hic fiunt ignes, nebulæ, cum rore pruinæ:
Cætera de nostris tibi sunt noscenda Cometis.
Nempe illic multis describimus Aëra verbis:
Et quæcunque eius triplici in regione parantur.

Authoris liber, qui Cometographia inscribitur.

Ignis locus, natura, & descriptio sanéquam elegans: cum iis quæ ad illum pertinent, ex ipso fiunt, & eundem occultè continent.

Locus elementi ignis, & eius natura.

I*Gnis ad æthereas volucer se continet arces,*
Summáque complectens imi fastigia mundi,
Flammarum vallo naturæ mœnia firmat:
Nam quæ sunt cœlo, & Stellis propiora coruscis,
Debent nobiliora etiam, & meliora putari:
Perbellè ergo prisci ignem scripsere propinquum,
Contiguúmque orbi Lunæ, sed luce carentem:
Vrentem tamen in primis: miréque calentem.
Quod verum esse docet ratio: nam nocte videmus
Per sudum volitare faces, flammásque vagari
Aëra per liquidum: & delabi sydera cœlo:
Quæ fiunt, sicci & tenues quòd in aëra fumi
Altius ascendant: superóque crementur ab igni:
Qui nisi sub cœlo verè esset, non vapor illic
Accendi posset, noctísque volare per vmbram.
Ast, ne quæso putes ignem in summa aëris esse

Demōstrastratio quòd sursum verus sit ignis.

Tantùm particula: cuius cœlestis origo est:
Nam cœlum, tellus, aër, mare, pace ligatum
Concordi hūc retinent, vitali & lumine plenum.
Hunc corpus nostrū, & res mūdi quæque, sopitum
Includunt : seu sursum spectes, siue deorsum :
Vnde mihi fœcunda nimis, mirandáque valde
Est semper visa, & semper dicta, atque putata
Vis ignis : siue hunc germen cœleste vocandum
Censes, aut aliud: nam mundo spargitur omni:
Omnibus in rebus latitat : sua semina paßim
Distribuit: quod ego paucis ostendere pergo.
Vidisti persæpe oculos in nocte, repente
Pulsatos, ignis scintillas mittere longé.
Vidisti crebrò, quòd cùm balearica plumbum
Funda iacit, volat, ac mox incandescit eundo:
Et quos non habuit, sub nubibus inuenit igneis.
Vidisti magnos miranda incendia monteis
Ructare, & validas cœlo dispergere flammas.
Vidisti calidos ardenti exsurgere fonteis
Tellure, ignitúmque antra exudare vaporem:
Sulphureósque lacus, vasto cum murmure, ab imo
Misceri, & rapidè tolli feruentibus vndis.
Vidisti decies fulgetræ & fulminis ignem
Aëre grassantem, & nullo ignis fomite factum.
Collisis etiam diffundi cernitur ignis
E trabibus: duráque abstrusa ex arbore flamma

Ignē vbique per totū mūdum, ac illius partes diffusum esse, licet occultè.

Pulchra historia & summa admiratione digna, de occultis ignibus.

Excudi: montésque procul fumare minaci
Ventorum impulsu, sese allidentibus ipsis
Saxis, inque vicem valido occurrentibus ictu.
Sic quoque cum dubij subeunt certamina belli
Ferro instructæ acies: & totis viribus hostes
Mutua consertis exercent prælia dextris.
Dum caua terribili tinnitu pulsa resultant
Arma, vomunt crebros gladiis tundentibus ignes.
Præterea, duris sonipes calcaribus actus,
Dum salit, & silices ferratis calcibus vrget,
Excudit rutilos ignes: soleáque latentem
In tenues acer scintillam dissipat auras.
Sic ferro præfixa, & neruo impulsa sagitta
Aëra per vacuum, ignescitque, ardétque volando.
Vsqueadeo natura suis spectatur vbique
Ignibus esse potens, occulto numine nobis.
Sed satis hæc fuerint: redeo ad summi aëris ignem
Dimissum: qui cùm leuitate ipsum aëra vincat,
Altior haud dubiè locus illi competit: ergo
Sub cœlo est eius sedes, & proxima Lunæ:
Sub cœlo dico, ad quod quando irrepsimus, omni
Conatu de illo satagamus scribere tandem.

Ignes, ceu vitalē & natiuum rerū spiritū, vbique naturā sparsisse.

Ignis locus, omnium elementorum summus.

Ignem de omnibus elementis altiorem locum & ſedem obtinere.



Cœlum eſſe vndique ſurſum: cui iamiam deſcripta mundi elementa omnia ſubſternuntur, nedum ſola terra. Adhæc, quòd figuram habeat orbicularem, nec aliam, non abſque ratione.

Principiò, rerum cuſtos natura, paréſque,
Cum tantā ſtrueret molem per mœnia mūdi,
Et circunfuſis orbem concluderet aſtris
Vndique pendentem in medio, diuerſaq́ue membra
Ordinibus certis ſociaret corpus in vnum,
Aëràque, & terras, flāmámq; vndámq; fluentē,
Mutua in alterutrum præbere alimenta iuberet,
Vt tot pugnantes regeret concordia cauſas,
Ac ſtaret ſocio religatus fœdere mundus,
Quódque erat inferius, vires hauriret ab alto,
Excelſum poſuit cœlum: ſub imagine magna

Dei & Naturæ ſumma prouidentia in mūdi ſtructura.

Demonstrationes quòd cœlum sit figuræ sphęricæ.

Cuiusdam sphæræ:dic quorsum? iure decenti:
Sphærica nam verè perfectior esse figura
Censetur cunctis aliis, quòd non habet in se
Principium, finémque:capax quòd denique,necnō
I. *Simplex & formosa manet, fitque apta moueri:*
Præsertim circa medium(ceu vertitur æther
Circa ipsam terram,in medio quæ cōdita mūdi est)

Sphæris & cœlestibus corporib⁹ orbicularē inesse figuram.

Conuenit hæc igitur cœlo tam digna figura,
Ac eius Sphæris:& toti denique mundo.
Conuenit & Soli,Lunæque,ac omnibus astris.
Quanquam aliter fingit pictorum inscitia turpis,
Cui audendi quiduis semper fuit ampla potestas.
Hæc cœlum possunt vtcunque probare rotundum:
2. *Quæ si non rident,poterunt fortasse placere*
Ista tibi:sequitur cœlum(vt mūdi omnia)summū
Archetypum:cui vel finem dare,principiúmque
Nemo queat(velut in Sphæra)manet ergo rotūdū,
3. *A simili. Rursum,rebus natura quibúsque,*
Quas ad res fiunt,formam propriam, atque figurā
Exhibuit: cœli proprium censetur,in orbem
Aßiduè volui: ergo cœlo sphærica forma
Quadrat, nā cyclicū gressum describit ad vnguē.
4. *Iunges,quòd nullos anglos motum remorantes,*
Sphærica de cunctis,& multis vna figura
Prætendit: quare cœlo bene commoda perstat.
5. *Si quos præterea cœlum concluderet anglos,*


Absque loco corpus iusta ratione daretur:
Vt vacuum taceam, naturæ legibus omni
Explosum mundo: fuit ergo necesse rotundum.
Vis alias causas? si planum, vel lateratum 6.
Esset, non eius partes æqualiter omnes
Terrâ distarent: ac maiora, atque minora
Sydera lucerent: quod contrà rite videmus:
Namque per illius cursum nulla astra notantur
(Exclusis fumis) maiora, minoráue: sed nec
Esse propinqua magis, magis insuper vsque remota
Vna, quàm reliqua cœlorum parte: quod vnum
Certè non fieret, ni cœlis sphærica forma
Diuini artificis mirando munere inesset.
Sed satis hæc: cœlis breuitas gratissima res est.

Colligitur cœlis sphæricã formã, & deberi & inesse.


Demonstrationũ prima, secundæ, tertiæ, quartæ, & itẽ sextæ pictura.




Eadem cũ proxima.



Demonstrationum quintæ & sextæ pictura, & schema non inelegans.



Eædem demonstrationes, nisi quòd particulatim, & expressè magis, iam dicta figurant.




❧ Quòd Sphæræ nomen mundo (de quo hactenus) perappositè quadret: ipsúmque totum, siue Vniuersum, Sphæra mundi sanè quam rectè nuncupetur.

Corpus, quod solidum est, & clauditur vna
Rite superficie, Theodosio Sphæra vocatur:
In cuius medio est pūctum, à quo semper ad ipsam
Vsque superficiem, si ingentes limite recto
Ducas lineolas, æquales vndique surgent
Inter se: velut ars demonstrat, & indicat vsus.
Quādo igitur mūdus, solidū, plenúmq; (quòd ipsa
Detrectet vacuum natura) agnoscitur esse
Corpus, perfectè, ac ex omni parte rotundum,
In cuius medio, centrum à tellure locatur,
Hinc, verè mundi totius machina, Sphæræ
Nomen habere potest, cui cœlum iungimus altum,
Omnibus assumptis, quæ occulto numine defert.
In quibus, hîc restat tenuem exercere Mineruam:
Et vires tentare, velut promisimus antè.

Sphęræ diffinitio ex Theodosio.

Mundū vniuersum rectè Sphæræ nomen sibi vēdicare.

Pictura superioris descriptionis Sphæræ.



FINIS LIBRI PRIMI *de mundi Sphæra, seu Cosmographia: authore Antonio Mizaldo Monluciano.*

ANTONII MIZALDI MONLVCIANI

DE MVNDI SPHAERA, SEV Cosmographia, Liber secundus.

HACTENVS aërios tractus, terræque, marísque,
Ac ignis summi, illæsis excurrim⁹ alis:
Restat vt æthereas sedes, mea Musa, petamus: Parasceuei n sequētia, breuē propositionem annexā habēs.
Et Sphæræ mundi loca præstantissima (cœlum
Inquam) dum ventum est illuc, & spirat Apollo,
Lustremus: sacræ rutilant hîc vndique flammæ.
Quare agè, pone metum, cœli rectrice vocata:
Nanque opus ingenio est, necnon prædiuite vena.
Ergo, ades Vranie, & facilem te trade roganti: Inuocatio attentionē captans.
Vranie, cui nota omnis penetralia cœli:
Quæ superûm sedes, stellatáque templa gubernas:
Sunt maiora etenim dictis dicenda: timétque
Mens mea tam tenuis, mysteria tanta referre:
Te duce tutus ero: quidnam cunctamur? eundum
Musa citò: quando collucent lumina mille:


Mille faces ardent: ac cœlica regna refulgent.
Sume animum, & vanam tellurem despice: certè
γνώμη. *Rebus in excelsis decus est, ac gloria maior.*

Quid cœlum, & quibus rebus in genere constet: siue, quas in partes vulgò diuidatur.

Cœli diffinitio, & eiusdē in suas partes distributio.

QVicquid habent elementa sibi super vndique stratum,
Id cœlum priscis communi est nomine dictum,
Necnon æthereus mundus: qui corpora perfert
Plurima: multiplices Sphæras includit: habétque
Centrum, axémque, polos, maiores, atque minores
Cyclos: cúmque vagis Stellis illustria Signa:
De quibus hîc nobis est tandem sermo futurus.

Cæli, ſeu Mundi ſuperioris, & item inferioris, pictura.



Sphærarum cœleſtium numerus, & quòd cœlum, ac ſuperiores, ſphæræ, inferiora omnia circumcludant: eáque (excepta terra) ſecum perpetuò rapiant. Vbi de motu primi orbis, ſeu ſummi mobilis, non pauca.

ORbes cælorum duntaxat ſæcula priſca Octo fecerunt: quibus vnum deinde ſecuta Orbes cœlorũ olim octo, hodie noué.

AEtas adiunxit, quo posthac ordine tradam.
Stellas summus habet, reliquis ascribe Planetas.
Omnes sunt mundo concentri: suntque voluti
Contiguè: quæ tota solet complexio dici
Machina cœlestis, necnon essentia quinta,
Vocéque plebeia, & vulgari nomine cœlum:
Omnia concludens, ac motu sedulò raptans:
Nam nil immotum patitur: tamen intima tellus
Stat semper (medium quoniā concessit ad orbem:
Vt suprà scriptum est) circa hanc vertigine mira
Machina cœlestis tot iam labentibus annis
Sponte sua vehitur: multósque intercipit orbes:
De quorū numero, summus (quod mobile primum
Dicitur) extremis rapidè discedit ab Indis,
Mauros, Hispanósque petens: spacióque diurno
Complet iter: celeri cursu cœlestia secum
Corpora cuncta trahens: illorúmque insuper orbes,
(Ceu totum partes) nullo spectabilis astro:
Quem motum absoluit mundi super axe, polísque:
Vnde, & mundanū vocitant, pariterque diurnū,
Et raptus: cui se comitem violentia præbet,
Vt visum est multis: quod nos tamē esse probamus
Falsum in eo libro, qui septem vtcūque Planetas
Describit: medicósque monet cœlestia scire:
Connubiúmque vetus reparat cœli, & medicinæ.

Cœlū, omnia secū, excepta terra, rapere.

Motus primi mobilis, seu noni cœli.

Liber ab authore nuper emissus, qui Planetologia inscribitur.


❧ Cœleſtes Sphęras omnes, ab Oriente, per Meridiem, ad Occaſum, intra horas quatuor & viginti, quotidie volui, ac reuolui.

IAm quòd ab exortu cœlum volutatur, eátque
Occaſum verſus, Stellæ monſtrant orientes,
Et ſeſe ſenſim attollentes, donec ad vnum
Sit ventum cœli medium, Solémque cadentem
Inuiſant, æquè diſtantes, atque remotæ
Inter ſe: & parili curſu ſemper gradientes. 1.
Quod mõſtrare queunt etiã arctica ſydera quæque: 2.
Nam cyclos formant, & ſemper agũtur in orbem
Cuiuis cõſpicuum: nec enim merguntur in vndas:
His ſaltem noſtris Boream ſpectantibus oris.
Sunt aliæ cauſæ, quas prætermittere viſum eſt:
Quòd ſcateant illis veterũ monimenta ſophorum:
Et nos quæramus docta breuitate placere,
Ac facili: qua nil diſcenti gratius extat.


Demonſtrationes quòd cœlum orbiculariter feratur ab Oriente, per Meridiẽ ad Occaſum.

Facilis breuitas vbique gratiſsima.

❧ *Primæ demõſtrationis pictura.*



❧ *Secundæ demonſtrationis imago.*



Cœleſtes Sphæras alium habere motum à iã poſito: & quòd propria vi contra ſummum cœlum nitantur, ab occaſu, per meridiem, in exortum procedendo. Vbi de motu, numero, & ordine cœleſtium orbium. Adhæc, quanto tempore ſuam reuolutionem, Sphæra quælibet, vi propria, ac motu congenito, perficiat.

Motus inferiorũ Sphærarũ omniũ cõtrarius motui primo.

IN primum, oppoſitis nituntur motibus, orbes
Omnes cœlorum, propriis virtutibus acti:
Signiferi (vt priſcis viſum eſt) ſuper axe, poliſque:
Hinc Gangem verſus pergunt à Gadibus (vt te
Luna docere poteſt de Stellis omnibus) horum
Maximus, innumeris aſtris eſt lucidus: atque
Curriculo annorum centum vix perficit vnum
Rite gradum: iuxta hunc Saturni Sphæra locatur
Inferiùs: triginta annis quæ tota mouetur.
Iuppiter eſt ſubter, qui curſum complet in annis
Bis ſex: hunc ſequitur Mauors, anniſque duobus
Vertitur in gyrum: poſt hunc Sol ipſe, trecentis
Et ſexaginta (vt ſcribunt) cum quinque diebus,
Necnon ſex horis, totum percurrit Olympum.
Infrà, poſt Solem, Veneris rota voluitur: eôdem
Tempore, quo Titan (cui Stilbon ſe comitem dat)
Vel, ſi audis doctos, ſeptémque, decémque diebus
Ocyùs: atque hinc Mercurij ſupponitur aſtrum

Orbiũ Planetarũ ordo & motus.

Sol, Venus, & Mercuri⁹ eundem ferè habent motum.

Præceps: nam curſim properat, citiúſque mouetur,
Quàm Cytherea, nouem (ſi res eſt vera) diebus.
Vltimus eſt orbis Lunæ: ſpacióque dierum
Viginti, atque nouem, necnon bis quattuor horis
Finit iter: remeátque illuc, priùs vnde receßit.
Ordo ducem ſequitur, donec venit orbis in orbem.

Cœlorum, & orbium Planetarum pictura.



Cœleſtes Sphæras omnes, & illarũ item Stellas vniuerſas (ex quibus tota cœlorum machina coaleſcit) à ſe, & ſuis formis naturali motu agi, non violento.

Sphæras, & ſtellatas illarum partes à ſe, & ſuis formis natura moueri.

CRedibile eſt ſanè, cœleſtia corpora, necnon
Orbes iam poſitos omneis ex ordine, per ſe,
Aque ſuis formis duci, ſempérque moueri:
Ac naturali gyro percurrere terras:
Natura eſt ſiquidem motore potentior omni.
Naturam verò appello legem omnipotentis,
Supremique patris: quam prima ab origine mundi
Cunctis impoſuit rebus: iuſsítque teneri
Inuiolabiliter, dum mundi ſecla manebunt:
Sic aqua ſemper erit mollis: ſic ignis adurens:
Sic ſtabilis tellus: ſic ſemper mobilis aër:
Sic forma, & virtus herbis ſua cuique tributa eſt:
Necnon arboribus, necnon animalibus ipſis.
Sic circumuolui cœlum ſine fine decens eſt.
Vſqueadeo ſibi conſtans eſt diuina voluntas.

Demõſtratio pulcherrima, & ſũmè notanda

Cœleſtium Sphærarum magnitudines varias eſſe, vti etiam motus. Vbi de miranda velocitate primi mobilis, ſeu ſummi, & ſupremi cœli.

QVantò plus abſunt cœli orbes, plúſue recedũt
A ſummo, tantò cenſentur iure minores:

Velocíque magis ſurſum procedere motu:
Motu(inquam)proprio:nam à primo ſecius itur:
Qui vſque adeo celeri fertur vertigine, vt omnes
Præuertat volucres: vētóſque, ac fulmina vincat:
Quò ergo quæque magis Sphæra eſt ſublimis:in illa
Fortior eſt motus: mundúmque rapaciùs ambit.
Quare illud cœlum, quod primum mobile fertur,
Maximū habet motū: ſed motus maximus ille eſt,
Tēpore qui minimo ſpacia, & loca maxima trāſit.
Quod ſummum peragit rapida vertigine cœlum:
Vnde in nictu oculi totum percurreret orbem,
Ni obſtarent illi Sphæræ quas continet in ſe:
Curſum frænantes validum:ne protinus omnem
Voluendo rapiat ſecum terram, Oceanúmque.
O rem mirandā imprimis, ſumméque ſtupendam!
Huc, mortalis homo, huc cæca erige lumina:noſce
Quis tantam iubeat tam paruo tempore molem,
Tam longas tranſire vias, iterúmque redire:
Nec ceſſare vnquam, & nullum ſentire laborem.
Hic miranda tibi, & ſummè veneranda poteſtas
Magna Dei patris, necnon Sapientia: cuius
Verbum formauit cœlos: ac ordine miro
Digeſſit:certóque ornauit ſydere cunctos,
Qui ſubſunt: veluti multo, quod deſuper aſtat:
Vires cuique ſuas, occulto numine, ſpirans:
Necnō & proprium, vegeto cum lumine, motum:

Sphæras cœli ſuperiores velociſsimo agi motu.

Summa velocitas primi cœli ſeu nonę Sphæræ.

Omnia ſumma prouidentia fieri, ac gubernari.

Quo ſtante, & radios ſtellarum rite vehente,
Et verè æthereum paßim ſpargente teporem,
Inferior mundus vitali paſcitur aura.

Cœleſtis Sphæræ, & itẽ mundanæ, centrum, axis, & poli: circa quæ, tam reuolutiones, quàm motus ſurſum fieri imaginantur.

Centri diffinitio ex Euclide, & Theodoſio.

TV centrũ Sphæræ, punctũ mediũ eſſe putabis,
A quo ſi innumeri tractus ducãtur ad ipſum
Circuitum: æquales inter ſe ſemper habentur:
Vt viſum eſt priſcis: qui nos pariter docuerunt,
Puncta duo, cœlum ad paruos vbi voluitur orbes,
Eſſe polos mundi: quos linea ducta per imum
Telluris centrum, gemino de cardine mundi,
In propriis facit extremis: circa quæ mouetur
Perpetuò, rapida & celeri vertigine cœlum:
Hanc (quia per mediũ circa quod cuncta mouẽtur
In longum tranſit, volui, ducíque recuſans,
Ac inclinari, vel ſe conuertere in orbem)
Inſcripſere axem: qui motum non habet vllum:
Non ſecus atque axis, circa quem multa rotarum
Turba ſuos motus immoto perficit illo.
Hunc ſi forte putas robuſtum, ac materialem,
Aut graue pondus, & immenſum geſtare, profectò
Erras: nam quicquid circumfert, illud habetur
Simplex, diuinum, & terreſtris corporis expers.


Poli mundi, & axis.

Axem mundi nequaquã eſſe materialem.

Demõſtratio centri Sphæræ.



Demõſtratio axis Sphæræ, & polorum Mundi.



Cœleſtis Sphæræ, vti etiam mundanæ, polos duplices eſſe.

HIC te ſcire velim (deſcribã plurima paucis) Poli duo, arcticus, & antarcticus.
Quòd propriũ nomẽ ſortitur vterque polorũ.
Arcticus eſt vnus, Borealis rite vocatus:
Auſtrinus, Notius, necnon Antarcticus alter:
Qui fugit à nobis, & noſtro lumine ſemper,
Donec ad AEquantẽ cyclum ventũ ſit, & vltrà.
Ne tamen ignores hac in ratione polorum,
Quòd quoties vnus ſpectatur, mox latet alter:
Quòd globus, atque tumor telluris cogit: vterque
Conſpicuus tamen eſt habitãtibus AEquidialem: Vbi vterque polorum appareat, vel vnus tantũ.
Hunc vltra, & citra verè fugit vnus, abítque:
Vt pòſt dicemus, Stellis, cœlóque fauente.
His poſitis, quæ ſit cœli conſtructio: quóſue
Excipiat cyclos, nunc demum ſcribere pergo.

Sex maiorũ circulorũ cœleſtis Sphæræ (qui de multis aliis præcipui habentur) deſcriptio, vſus, natura, & ſitus.

Imprimis Zodiaci, ſeu obliqui circuli, quem & vitæ, & interitus viam, perappoſitè dixerunt Peripatetici.

Zodiaci deſcriptio, ſitꝰ, & vſus.

MAiores cycli, qui cœlum partibus æquis
Diſtingunt, nobis numero ſex eſſe feruntur:
Signifer eſt vnus, biſſenis vndique Signis
Conſpicuus, Tropicũ attingens, obliquus, vtrũque:
(Vnde κύκλον λόξον *bene dixit Græcia quõdam)*
A ſummo Cancrum, Capricornum pulſat ab imo:
Atque locis geminis complectitur AEquidialem:
Lanigeri, & Libræ prima de parte, gradúque.

Zodiacus Planetarum via, & vehiculum.

Illuſtreis per eum Phœbus moderatur habenas:
Subſequitúrque ſuo fratrẽ hîc, vaga Delia, curru:
Et quinque aduerſo luctantia ſydera motu,
Hîc peragunt varios naturæ lege meatus:
Nonnunquam ſurſum volitando, ſæpe deorſum:
Quo fit, vt è cunctis latus fingatur, vbique


Ecliptica, & cur ita dicta.

Eximiis Stellis rutilans: quem linea ducta
Per medium (via ſolaris vocitata Latinis,
Ἡλίακος κύκλος *Græcis, & ecliptica, propter*
Defectus ſub eam venientes) diuidit aptè:

Inque duas partes, Aquilonem versus, & Austrũ Zodiaci latitudo.
Dispescit: dempto hoc, maiores atque minores,
Sunt censendi alij, ceu sphærica virgula, cycli:
Queis tercentenos, orbis, cœlíque periti
Ascripsêre gradus, decies sex si superaddis
In longum, ducto ex æquali limite tractu.
Sed te scire velim, quòd habet sibi Signifer axem, Zodiaci axis & poli.
Puncta, polos itidem seclusos, atque remotos
A mundo, queis sunt limes parui duo cycli:
Arcticus vnus, & hinc fugiẽs Antarcticus alter.
His innixi orbes cœlorum, quotquot habentur
Suppositi octauo, propria virtute mouentur:
Vt paulò antè, tibi satagebam ostendere paucis.
Restat peruigili, & studiosa mente notandum,
Quòd valdè grata est ecliptica linea Phœbo:
Nam rectà per eam semper graditúrque, regítque Vsus eclipticæ.
Igniuomos per eam currus, sub tramite fixo
Zodiaci: qui de tot cyclis solus, & vnus,
Non visus aciémque fugit: tantúmque probari
Ille potest: sicut reliqui vix mente videntur.
Nam nitet in summo, vt stellatus baltheus, orbe:
Ac illustre facit disperso lumine cœlum: Partiũ Zodiaci numerus in longitudine, & latiudine.
Qui ter vicenas partes capit, atque trecentas
In longum: bísque octo in latum, vt fascia, pergit:
Quæ cohibet positis errantia sydera metis.

Illum ζωδιακὸν Græci dixere, Latini
Orbem ſigniferum: quòd geſtet Signa, vehátque
Obliquo poſitu, mundi ratione polorum:
Vnde obliquus dicatur Zodiacus.
A quibus haud æquè ſurſum diſtare videtur.
Vel, quia cũ Æquãte, obliquos, ipſiſque Coluris,
Anglos componit, de Sphæræ corpore notos.
Vel, quòd, vt Æquator, paſſu non ſcandit eodem:
Nãque eius partes, variè aſcẽdúntque, cadúntque:
Nunc obliquè, aliâs rectè, lentéque, repentè
Nõnunquã: vt Sphæræ præbet poſitúſque, ſitúſque.
Cauſas (ſi quæ ſunt reliquæ) monſtrare ſtudebo
Mẽſibus hinc paucis, ſcripto hiſce volumine rebus.
Vſus Zodiaci, & eiuſdẽ commoditas multiplex.
Tu tamen interea diſces, quòd ſemper ab ipſo
Hoc cyclo, errantum & fixarum quærimus ortus,
Necnon occaſus: & eorum tempora quæque:
Cui dat principium de Signis Laniger vnus:
(Si mihi principium cyclo concedis ineſſe)
Eſt etiam motus propriј menſura πλανητῶν:
Quorũ quæque loca, vt fixarũ, mõſtrat ad vnguẽ.
Et quàm lata via & queis partibus adſit eclipſis.
Cætera quæ dici poſſent: & quæ ſibi iuſtè
Signifer aſcribit, proprio tradam tibi libro,
Vt dixi, modò vitam nobis numina ſeruent.


Zodiacum circulum obliquum esse, ac latum: adhæc terram ambire.




Zodiacum in 12. partes secundum longitudinẽ distribui, per quas errãt Planetæ.



Zodiaci, & itẽ mundi, poli, & axes: cum partium distributione.



Positus Zodiaci, & eclipticæ in cœlo, cum limitibus eorundem.



Æquinoctialis circuli, seu Æquatoris, descriptio, vsus, natura, & situs.

AEquinoctialis descriptio, & sit⁹.


Signiferum AEquator rectus secat: inque priori
Lanigeri, Libræque gradu, lucem æquat, & vmbras,
In media cœli & mundi regione locatus:
Qui fermè à Cancro vicenis, atque quaternis
Particulis procul est, totidem simul à Capricorno.
Parte ab vtraque vidẽns axẽ: ex quo diuidit omne
In tractus geminos cœlum, Notium, Boreúmque:
Necnon Signiferũ totum: sub quo hospite, Phœbus
Componit paribus numeris, noctésque, diésque,
Quoquò te vertas, vt nomen personat ipsum.
Addo, quòd hunc toto gradiens describit in anno
Bis, dum Lanigeri, & Libræ primordia calcat:
Atque cita rapitur summi vertigine cœli.
Ex illo manat terræ distantia lata:
Signiferi graduum quæ declinatio, necnon
Stellarum: & vastæ telluris quæ via longa:
Huius præsidio discrimina lucis & vmbræ,
Constanti, certóque modo venamur vbique:
Ipsáque percipimus toto AEquidialia mundo.
Is motus primi est mensura, & temporis: illinc
Signorum ascensus in Sphæra vtraque petuntur,
Necnon descensus: quod ego describere pergam,

Vsus AEquinoctialis multiplces, & summè notandi.

AEquinoctialis de omnib⁹ Sphæræ circulis magnos halet vsus.

Si non hîc, alibi ſaltem: modò dixeris à me
Iſta parte ſatis tibi factum vtcunque fuiſſe.

Æquinoctialis cũ Zodiaco poſitus, & vtriuſque ſectio.



Nuda Æquatoris poſitio, & pictura.



Meridiani circuli deſcriptio, natura, vſus, & ſitus.

Hic paribus ſpaciis occaſum cernit, & ortum
Circulus: ac geminũ concurrit ſemper ad axẽ:
Semper & in puncto capitum verſatur vbique:
Atque ſecat totum medio de limite mundum.
Sub quo tam tenebras, quàm lucẽ, Phœbus ab alto
Diuidit ex æquo: ſed non manet, éſtque meanti
Mobilis, ac ſedem varians: nam ſi quis Heoos,
Heſperióſue petit, medius dum proſilit alter,
Cum tellure polum, necnon & tempora mutat.

Meridiani circuli deſcriptio, ſitus, & loc⁹.

Ex quo perfacilè excerpis, tot, támque frequentes
Esse μεσημερίους, quot connumerantur ab ortu,
Occasum versus, capitalia punctula (Zenith
Dixerunt Arabes) quæ centum, ni bene fallor,
Cosmographi faciunt, si octogena insuper addis.
Ergo, quisquis ad Occasum rectà, vel ad ortum
Tendit, iure μεσημέριον mutátque, facítque
Crebrò nouum: sed si rectè peragrare polorum
Alterutrum versus cupiat, sanè ille sub vno
Deget perpetuò: quidnam vis ampliùs? omnes
Astronomi motus ad eum referúntque, diémque
Incipiunt: stellæ petitur distantia ab illo
AEquātem versus: velut ars demōstrat, & vsus.
Hunc vbi Sol sursum attingit, mediam tibi lucem
Exhibet: & tenebrás medias de nocte deorsum.
Vnde dies, noctésque æquali limite truncat,
In matutinum, & vespertinum quoque tempus.
Quare, defixum quacunque in parte putabis
Esse vnum: cui sunt vsus, & commoda mille:
Exponenda locis aliis: sed scito tamen, quòd
Quisque μεσημέριος, quauis regione, sitúque,
Anglos semper habet rectos cum AEquāte dierū:
Et cùm Finitore secat sub partibus æquis,
Quattuor in tractus cœlū, velut hic modò scribā.

Meridianos circulos plures inter peragrandū occurrere.

Vsus multiplices circuli meridiani.

Parasceue ad sequentia.


❧ *Meridianos varios ac fugaces, à polis mundi per locorum vertices procedere.*




❧ *Meridiani, Æquatoris, & Zodiaci positio.*



❧ *Meridianorum diuersitas.*



❧ *Nud⁹ meridiani, & poli eiusdem situs, ac pictura.*



❧ Horizontis, seu Finitoris circuli, descriptio, vsus, natura & situs.

Quid Horizon, seu Finitor circulus.

Ircunfer faciles oculos, vultúmque per orbem,
In campo quem nulla premunt obstacula magna:
Quidquid erit cœli sursum, terræque deorsum,
Quà coït ipse ferè nullo discrimine mundus,
Redditque, aut tollit fulgentia sydera cuique,
Cingendo tenui Sphæralem limite gyrum,
Verticis à puncto distans æqualiter, illud
A Græcis, proprio de nomine fertur ὁρίζων:

Vsus multiplices Horizontis.

Qui medium Sphæræ superum distinguit ab imo:
Atque à nocte diem secernit: punctáque ponit
Ortus Stellarum, atque occasus: denique reddit
Signorum ascensus, & descensus bene notos:
Ostendit partem mundi Boream, Notiámque,
Ac orientalem: occiduum cui iungito tractum:
Ventorúmque situm: & surgentis, deinde cadentis
Phœbi defixas sedes, vbicunque locorum:
Offert prætereà, quæ semper sydera, nobis
Se prodant, & se occultent: veniant, fugiántque:
Ac rectæ Sphæræ, atque obliquæ campus habetur:
Et quantus sit quisque dies, cum nocte recludit:
Paucis, quæ fuerant sub terra fert in apertum:
Atque poli, vt Græci dicunt, ἐξάρματα, necnon
AEquantis, facili demonstrat, & edocet arte:


Ac domibus cœli vulgata exordia donat.
Ast duplicē hunc faciunt: vnus directus habetur:
Quòd rectos anglos statuat cū Æquāte, polúmque
Admittat sub eo, prisco de nomine Zenith:
Hic vbi contingit, resecátque μεσήμβριον Æquās.
Alter it obliquus recto contrarius: omni
Parte fugax ad quam migrando verteris: hinc est
Quòd quocunque vagæ tulerint vestigia plantæ,
Has modò terrarum, nunc has gradientis ad oras,
Siue Austrum versus tendat, Boreámue rigentem,
Hesperiósue petat, vel deducatur ad Indos,
Fit nouus: & visu circùm spectabilis vno:
Nunc aliud cœlum ostendens, aliúdue relinquens:
Próque polo punctum cognoscens verticis, à quo
Æquator tantùm distat, quantùm polus ipse
Mundi à Finitore: poli & distantia quanta est
Verticis à puncto, tanta Æquatoris habetur
A Finitore illic declinatio: quæ sunt
Hic reliqua, excipies à viua voce magistri:
Qui, quæ non patitur lex carminis, vltrò docebit,
Monstrabítque polos maiorum denique κυκλῶν,
Partibus esse procul nouies denis, nec eo plus,
Ipsis à cyclis: illorum vnóue quadrante:
Quótque μεσημέριοι ponentur, vel statuentur,
Tot Finitores vasta in tellure notari:
Inque aliis perget, nec quicquam doctus omittet.

Horizon duplex, rectus & obliquus, cum propria cuiusque descriptione.


Horizō circulus fugax, & varius.

Multa, quæ hic desiderantur, à docto præceptore expectanda.


Horizontis recti, typus, & positio.



Horizontis obliqui pictura, & positio.



Varietatis Finitorum imago.



Horizontes mutari ab Aquilone in Austrū eundo, & contrà.




Figura vna superioris libri, quæ demonstrat terram orbicularem esse, hîc vsui esse potest.

Duorum Colurorum, vtriusque scilicet Solstitii, & Æquinoctii, descriptio, vsus, natura, & situs.

Descriptio Colurorũ.

HIc, duo scribendi restant pro more recepto
Maiores cycli: qui quattuor antè relatos,
Séque secant: gemino coëuntes cardine mundi.
Hos (quòd cernantur mutili) dixere κολούρους,
Tempora signantes anni, cœlúmque per astra
Quattuor in tractus scindentes partibus æquis.
Vnus Solstitia exhibet: AEquidialia ponit
Alter: vix alios vsus retinéntque, ferúntque:
Ni quòd ab Astronomis nunc declinatio Solis
Maxima spectatur, necnon numeratur in vno:
Qui in tractus totũ dirimit cum fratre quaternos
Cœlum, nedum vnũ AEquotorẽ, Signiferúmque:
Cuius scandentem partem, partémque cadentem
Aptè distinguit, necnon determinat alter.
Tu reliqua ex libris disces, doctísue magistris.

Vsus duorum Colurorum.

Authoris modestia, qui quia versib⁹ omnia expedire non potest, ideò ad doctos præceptores, hic Lectorẽ subinde relegat.

Coluri solstitiorũ & AEquinoctiorum pictura.



Admonitio in præcedentia, necnon ſequentia.

DIcti maiores cycli (tollatur ὀρίζων,
Atque μεσημβρινὸς) motu Sphæræ rapiũtur:
Ac ſunt, ſi neſcis, in terris omnibus iidem
Maiorũ, minorúmue circulorũ partes. 3 6 0. *Vnà cum reliquis, quos nunc vocitabo minores.*
Sed te noſſe licet, maiorum ſiue minorum
Vnumquemque cyclum, in tercentenas bene partes
Diſtribui, necnon ſexaginta, vt docet vſus:
Quarũ quæq; capit ſtadia (in noſtro orbe) deorſum
Quingenta, vt, paucis, libro monſtrare ſtudebo,
Qui ſequitur: mora erit breuis ac breue tẽp⁹, et hora.

De quibuſdam aliis circulis maioribus cœleſtis Sphæræ, sed minùs præcipuis, ac neceſſariis.


NON prætermittes, quòd Sphæræ connumerantur
Cycli maiores alij, nunc egredientes
Circuli longitudinũ locorum, Stellarum, & domorũ cœli. *Signiferi, mundíque polis, per centra πλανητῶν,*
Necnon Stellarum excurrendo: nunc variorum
Tangendo rectè capitalia puncta locorum:
Sunt & quos priſci cyclos dixere domorum:
Qui in toto formant duodena palatia cœlo.
Quorum naturas, vſus, formas, rationes,
Cum libris poterit doctor recitare peritus.

Quatuor circulorũ minorum cœlestis Sphæræ (qui de multis aliis celebres habentur) descriptio, vsus, natura, ac situs.

Et in primis Tropici Cancri, siue Æstiualis circuli, & Solstitialis.

IAM dictis cyclis poteris sociare minores:
Qui per inæquales diducunt sydera parteis:
Qualis censetur, quem verè Cancer adoptat, — Tropici Cancri siue æstiualis circuli ratio, natura, & vsus.
Æstiuúmque sibi desumit nomen ab æstu:
Nam Sol hic cursum contingens rite supremum,
Præualidos æstus nobis iaculatur ab alto:
Ex quo paulatim pergit descendere: necnon
Vorsurã facere: hinc Tropico dãs nomẽ, & vsum:
Hic vbi Solstitiũ est: non quòd verè stet ibi Sol,
(Qui solitum motum nunquã est dimittere visus, — Solstitium, & vnde dicatur.
Ni fortasse semel, Domino sic præcipiente)
Sed, quòd per luces aliquot, nusquam varientur
Nobis (ad sensum) quæuis vmbræ capitales,
Et summæ: nec item crescat, vel sit minus ex se
Luminis ac noctis spatium: queis iungimus aptè,
Quòd Sol hoc cyclo à Borea deflectit ad Austrum
Nos fugiens, reuehénsque aliis regionibus æstum: — Dei summa in orbẽ terrarum bonitas.
Pro summa bonitate Dei: qui protinus vni
Omnia non confert, sed multis diuidit, vt vult.

Breuis pictura, & demonstratio vtriusque Tropici.



Tropici Capricorni, siue Brumalis circuli, & Solstitialis, descriptio, vsus, natura, & situs.

Circuli Capricorni ratio, natura, & vsus.


A Bruma cyclus, Brumalis nomine dictus,
Frigida fulgentis capit incunabula Solis.
Nam veluti nascens hîc, sensim reptat in altum
Titan: ac lucem (tenebris cedentibus) illinc
Crescendo reuocat, tepidis comitantibus auris
Paulatim, & proprio motu, proprióque rotatu,
Quo tibi præsentem cyclum describere pergit,
Dum partes primas rigidi scandit Capricorni,
Ac agitur subita cœli vertigine summi.
Hinc, ad nos alacris rediens, nostrúmque reuisens
Inde solũ, Austrinis frigus, glaciémque, niuémque
Insinuat furtim: factúsque remotior illis,
Nos adit: & reptans, gratum, dulcémque teporem

Egregiũ Dei speculum in Sole.

Frigore laxato perfert: nostrósque labores,
Vt fructum faciant, inuisit numine fausto.
Partibus huic denis Antarcticus, ac duodenis
Distat: & AEquator vicenis, atque quaternis,
Si duo deponas, necnon terdena minuta.
Sed ne posthabeas (quæso) quòd vterque cyclorum
Istorum, est Solis limes: nam non abit vltrá.
Porrò, quòd AEstiuus maiori extenditur arcu
Supra tellurem, quàm subter quò fit, vt illic
Maiorem lucem componat Phœbus ab alto.
Oppositum Brumalis habet: quapropter adauget
Nocteis: quod terris Borealibus accipe scriptum:
Nam secus Austrinis contingere, nemo negabit.

Vsus Brumalis circuli, siue Tropici Capricorni.

Hæc pictura nõ solùm duos tropicos ob oculos ponit, sed & circulos omnes Sphæræ, tã maiores, q̃ minores.



Admonitio in præcedentia, & sequentia.

Tempus, cū in cœlo, tum in terra omnia īmutare.

E St aduertēdum, quòd sedes mutat vtrumque
Solstitiū: mutāt simul AEquidialia: causam
(Quod nequeat rectè committi versibus, & quòd
Ad reliqua accelerem) facili te voce magister,
Aut libri lecti, vel me reticente, docebunt.

Circuli Arctici, siue Borealis, descriptio, vsus, natura, & situs.

Arctici circuli ratio, & vsus.

V Nus ab his superest, extremo proximus axi
Circulus, ad Boream: qui, quòd paruam capit ἄρκτον,
Arcticus à nobis Græco de nomine fertur:
Sydera concludens liquidum fugientia pontum:
Queis occasus, & ortus abest, per climata multa:
Ille, polo mundi vicenis, atque quaternis
Distrahitur gradibus, si tollas pauca minuta:
Signiferíque polo totus describitur idem.
Te tamen hîc nouisse velim, quòd circulus iste,
Multis Astronomis, veluti Proclo, & Cleomedi,
Semper visarum limes proponitur esse
Stellarum: hinc varius per climata multa notatur:
Hic maior, minor illic, denique maximus isthic:
Vt Sphæræ est positus, necnon & ipsa polorum

Qualiter à Græcis Sphæræ interpretibus multis, describatur Arcticus circulus.

Ad Finitores varios, ducta exaltatio nota
His qui ex AEquãte ad Boream procedere tẽtant.
Ergo, ſub AEquatore videbitur Arcticus eſſe
Nullus: propterea quòd ibi cuncta aſtra pateſcunt,
Nulla occultantur: ſenſim lateſcet eunti
Ad Boream: ſub quo narratur maximus eſſe.
Nam cum Finitore, AEquantéque conuenit illic.
Quòd, quàm ſit verum, doctos cenſere relinquo.

Vbi Arctic' circulus maximus eſſe dicatur.

Breuis pictura vtriuſque poli mundi, & Zodiaci.




Circuli Antarctici, ſiue Auſtralis, deſcriptio, vſus, natura, & ſitus.

H*Ic nobis reſtat de paruis quattuor, vnus Circulus: Auſtrinas qui ſtringit, & obſidet Arctos.*

Locus, & natura Antarctici circuli.

At, quantùm noster sublimi à cardine sursum
Distat, ab aduerso tantundem proximus ille est:
Quem terris pressum Notius prospectat Horizon.
Atque Capri Tropico terdenis, ac duodenis
Partibus abstrahitur: quem Signiferi polus explet.

Nuda pictura duorum polorum mundi.



Admonitio non negligenda.

Polos minorum circulorum cōuenire cum polis maiorum.

NOn licet intactū dimittere, quosque minores
Hos cyclos, retinere polos maioribus vsque
Communes quibus esse paralleli aspiciuntur:
Aut, quibus ex spatiis æqualibus vndique distāt.
Quos, quò de medio plus ferri ad vtrūque polorū,
(Hîc vbi cœlestis Sphæra angustatur in arctum)
Cernis, eò & verè, & iustè censeto minores:

Hisque minus terræ spatium concedito: necnon
A fixis partim, ac errantibus esse putato
Descriptos, dum Signiferi voluuntur ad axem.
Si, quos exhibeant vsus, fortasse reposcis,
Qui præter dictos permulti connumerantur,
Tum libri (vt dixi) tum doctor factus ad vnguem Non omnia possunt versibus committi.
Perfectè exponet: nam vix sunt versibus apti.

Quatuor nunc descriptos, & positos minores circulos, totum cœlum cũ Æquatore, in quinque spatia dirimere: quę Zonas cœlestes prisci Astronomi rite nuncuparunt.

Locus, & ordo quinque zonarũ cœlestium.

QVinque tenent cœlum zonæ: quarum vna, corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igne est:
Atque duos inter Tropicos consistere fertur.
Hinc, geminæ vsque polos, dextrà, leuáq; recedũt,
Cærulea glacie concretæ, & nubibus atræ:
Quas arctè extremi claudunt parui duo cycli.
Has inter, mediámque, duæ (pro munere Diuûm)
A Tropicis, paruos ad cyclos, vltima versus
Sphæræ, cesserunt: cœlóque hæc regna dederunt.
Sed, ne tu, quæso, ignores, quòd quælibet harum
Est habitata suis (nullo prohibente) colonis:
Nam, neque Diis frigus, neque torrẽs officit æstus:

Cœlum ab omni qualitate elemẽtari immune.

Talia conueniunt terris: ſtat ſemper ab omni
Cœlum immune gelu: nullóque incenditur igni.

Circulos alios minores, à iam dictis quamplurimos in cœleſti Sphæra deſcribi, ac imaginari.

Circuli lucis, & noctis.

NOn ignorabis cœlum plæroſque minores
A modò deſcriptis alios agnoſcere cyclos:
Vt ſunt, qui vltra AEquatorem, citráque diurno
Solis finguntur motu, lucémque figurant,
Ac tenebras, quauis terrarum parte, ſitúque:
Siue æquales, ſeu vulgares reſpicis horas:

Circuli latitudinũ regionum.

Prætereà, qui per capitalia puncta locorum
Deducti, ſpatium latum Boream modò verſus,
Ac Auſtrũ modò (ſi ex AEquãte receſſeris illuc)
Oſtendunt, mutántque horas, & tempora paßim.

Circuli declinationũ Stellarum.

Addam, quos fixæ deſcribunt, atque Planetæ:
Illorum, vt pateat data declinatio ſurſum.
Conticeo reliquos, ne ſim narrando moleſtus:
Quos te percuperem de libris noſcere doctis:
Vel non vulgaris viua de voce magiſtri:
Qui ſint, quid valeant, quos vſus denique præſtẽt:
Nam facilè id non eſt committere verſibus: atque
(Vt par eſt) clara methodo deſcribere cuiuis.

Nullos circulos, ſiue maiores, ſiue minores illi fuerint, nec item polos, & axem, motum in cœlo vllum ex ſe habere, & agnoſcere. Imò re vera, nequaquam ibi ſubſiſtere, quin potiùs commentitios omnes eſſe, non tamen ſine ingenioſa, ſumméque laudanda excogitatione.

Hic (ne quid clames intactum) ritè monebo,
Nullos in cœlis cyclos agnoſcere motum:
(Quāquā aliter viſū eſt multis, me iudice, ſtultis)
Hūc dico propriū, & qualem tibi ſydera mōſtrāt:
Sed Finitorem, atque μεσημέριον bene tolles:
Non quòd ſe moueant, ſed quòd mutentur eundo:
Atque ſubinde noui veniant, ſurgántque meando:
Quod potes & reliquis cœlorum aſcribere cyclis,
Quos mutare adigit mutatio lōga locorum.
Hinc tantùm poteris Boreæ procedere ad oras,
Vt Cynoſura tuo veniat cum vertice recta:
(Si id poſſet cœli facies gelidiſsima ferre)
Auſtrum prætereà verſus concedere tantùm,
Vt Cancri punctum liceat capitale videre,
Ac AEquatorem, necnon zonam Capricorni:
Quam nautæ ſuperant hodie, qui per mare currūt:
Atque nouas magno ſcrutantur pectore terras:
Hi Stellas, cœlúmque nouum, ſic ſemper eundo

Circulos omnes cœli, ex ſe immobiles eſſe.

Cœleſtes circulos ſæpe mutari, non verò moueri

Inueniunt: Finitorésque, μεσημεριούς τε
Mille nouos, & mille vagos, & mille fugaces:
Nullum Æquatorẽ, nullum Cancrũ, Capricornũ
Nullum: ni veniant sub eos, longè peragrando.
Concludes ergo, hos cyclos nobis remoueri,
Atque propinquare, huc nũc, nũc illuc properãdo:
Sed mutare locum nequaquã, vt scripsimus antè.
Porrò, non credes vllos consistere, & esse
Re vera in cœlis maiores, siue minores
Cyclos, corporeos: nec rursum axémque, polósque:
Nil graue sursum habitat, nil illic materiale est:
Et nil compositum: simplex est vndique cœlum.
Te tamen admoneo (si gaudes fortè moneri)
Hos laudare homines, reuereri, semper amare,
Qui summo ingenio, & superis dictantibus, olim
Talia sunt nobis commenti: vt cœlica quæuis
In nostrum veniant vsum, & mõstrentur apertè.
Fœlices animæ, quibus hæc cognoscere primùm,
Inque domos superas tam dextro scandere cursu
Cura fuit: nostrísque oculis distantia longè
Sydera, ceu digito, notissima reddere: summè
Fœlices tumuli, quibus insunt ossa virorum
Tantorum: ô cineres bis, térque, quatérque beatos!
Credibile est illis violas innascier, atque
Lilia: stellanteísque deos habitare sepulchra:
Queis fuit, est, & erit notum per secula nomen.

Quosdã circulos in cœlo mobiles esse alios immobiles.

Pulchra digressio in artifices rerũ cœli, & theoricarũ scriptores, &c.

Ingenuus authoris candor, in laudandis doctis, ac commendandis.

Cœlestem Sphæram, hisce iam positis circulis multiplicibus circunscriptam, duplicem esse: siue dupliciter, respectu terræ, imaginari.


PAulò antè adscripti maiores, siue minores
Cycli præcipui, propria sub imagine cœlum
Obiectant oculis: summum dico, atque supremum: Superiorum aptus, & breuis epilogus.
A quo multi orbes alij clauduntur, & vna
Tellus, ac elementa, modo quo scripsimus antè.
Sphæras hic alias à prima, iure tacemus:
Doctis Phænomenis multorum ex ordine notas.
Ergo, hic cœlestis generatim sit tibi picta:
Quam non absurdè duplicem fecere vetusti:
Vna est obliqua, ac decliuis: & altera recta: Sphæra duplex, recta & obliqua.
Quod globus, atque tumor terræ præstare videtur:
Ad sensum mutans Sphæræ positū, atque polorum.

Quid Sphæra recta, & quinam propriè sub ea habitare dicantur. Adhæc, cur ita appelletur.


QVisquis vtrūque polū prospectat rite locatū Quid Sphæra recta, & vnde dicatur. Ad hæc quid propriū habeat.
In Finitoris labro, censetur habere
Is rectam Sphærā: éstque sub Æquatore repostus:
Qui hic sphæralem anglum cum Finitore figurat,
Et rectum: quæ res Sphæræ rectæ dare nomen
Iure potest: sub qua qui diuersantur, apertum

Vndiq; habẽt cœlũ:ac illic numerántq; vidéntque
Surgentes stellas omneis,omneísque cadentes.
Addo,quòd hic adsunt anno Æquidialia toto,
Bísque tenent Solem summũ,bis habent capitalẽ:
Vmbrarúmque gerunt quinas ex ordine formas.
Non desunt etiam qui rectam dicere malint:
Alia ratio rectæ Sphere. *In qua verticibus polus imminet,atque locatur*
Ad perpendiculum:necnon Æquator habetur
Pro Finitore: éstque illic reuolutio tota
Anni labentis clausa vna nocte,diéque.
Verũ erecta mihi hæc potiùs quàm recta putatur.
Rectam alij censent meritò debere vocari:
Alia ratio. *Quòd Finitori incumbant axísque,políque*
Ad rectũ positũ: & cũ Æquate μεσήμβριος anglũ
Constituat rectum,& sphæralem, verticis ipso
In puncto rectè: quod Sphæræ non habet vllus,
(Hunc præter) positus: veluti res ipsa docebit.

Sphæræ rectæ, & Horizontis recti pictura: adiectis cœlorũ circulis, demptis Coluris.



Vtriuſque Sphæræ, ſeu Horizontis pictura.



Alia rectæ, ſeu potiùs erectæ Sphæræ pictura.



Hîc, vſui eſſe poteſt figura vna primi libri, quæ demonſtrat terram eſſe ſphæricam ac rotundam: poterítque ſequentibus accommodari.

Quid Sphæra obliqua, & quinam ſub illa propriè dicantur habitare. Adhæc, cur ita appelletur.


CVI polus vnus adeſt ſurſum, repitq; deorſum
Alter, decliui Sphæræ ſupponitur, vltra
Æquantem, aut citra: velut ars demōſtrat, itérque.
Hic Æquator vbi cum Finitore receptus,
Obliquos anglos format: quà, qui reſidebit,
Huic cœli facies non rectè tota patebit:
Quoq; magis ſurſum tendet polus: hoc magis infrà

Quid obliqua Sphæra, cum eius deſcriptione.


Deſcendet cœlum: creſcétque dies magis illic:
Quæ non ſemper erit tenebris æqualis, vt vna
In recta: paucis dicam, obliquæ incola Sphæræ,
Agnoſcit rectæ contraria ſingula, quando
Æquantem longè linquens, ad vtrunque polorum
Accedit magis: vt ratio depoſcit: at iſta
Sat fuerint: nam ſunt cœlis compendia grata.
Cætera, quæ reſtant, noſtros renuentia verſus,
Doctorum explebunt doctiſſima ſcripta virorum,
Qui res cœleſtes tractarunt lege ſoluti:
Hos adeas, laudes, relegas, mireris, améſque:
Ceu raros homines, & fauſto ſydere natos.

Vbique ſuſpiciendus, & amãdus authoris candor.


Sphæræ obliquæ, & obliqui Horizontis pictura.



Alia eiuſdem pictura, & demonſtratio.



Alia inſuper, cum circulis Sphæræ, dempto AEquatore, & Coluris.



FINIS LIBRI SECVNDI
de mundi Sphæra, ſeu Coſmographia: authore Antonio Mizaldo Monluciano.

ANTONII MIZALDI MONLVCIANI DE MVNDI SPHAERA, SEV Cosmographia, Liber tertius.

PAVCA quidem, ſed magna tamen video ſupereſſe,
Muſa, tibi: quid ſuſpiras? dum ſacra fauebit
Vranie, pandétque viam, omnia tuta putato:
Quare agè, ſume animū, breuitérq; oſtēdere perge,
Breuis inuocatio annexam habens propoſitionem. *Quemnam rite locum tenet inter ſydera, quiſque*
Circulus antè tibi ſcriptus, maiórue, minórue:
Et quà ducat iter: vel cuius imaginis ille
Excurrat parteis: præſertim hoc tempore noſtro.
Hancce nouam doctis aperi (te quæſo) feneſtram:
Primáque, quod nulli tentarunt, fortiter aude:
γνωμὴ *Immortale decus dant parui ſæpe labores.*

Sex maiorum circulorum cœleſtis Sphæræ deſignationes, vt hodie in cœlo imaginantur : & per ſerenam noctem ab aliis cœli circulis diſtingui poſſunt.

Zodiaci in primis.

Signifer à propriis Signis deſcribitur apté:
Cui in Libra Æquator cõcurrit, Lanigeróque. Signiferi circuli deſignatio.
A Borea Cancrum, Capricornũ tangit ab Auſtro.
Cætera percurret pauco pòſt tempore, noſter
Zodiacus: dedimus cui nomen tale, quòd omnes
Signiferi cycli, & Signorum tradat ad vnguem Liber hic breui emittetur.
Naturas: verſu facili, methodóque probata.

Horum, & item ſequentiũ picturam ac demonſtrationes tantiſper expectabis, donec libellum tibi emiſerimus, cui ASTERISMI *nomen facimus, hoc eſt imagines cæleſtes. Nam ibi pulcherrimam hiſtoriam omnium cœli ſimulachrorum, & item circulorum, cum ſuis deſignationibus propediem es habiturus. Vbi ſcilicet Zodiacum, & Signa eius, tribus libellis: adhæc, Planetas vnico, tibi priùs exhibuerimus. Inde, ad octauum cælum (ceu gradibus quibuſdam) reptaturi: in quo partem vltimam cæleſtis Philoſophiæ omnium pulcherrimam, tibi abſoluemus. Interea, conatus noſtros, tuis apud Deũ precibus vt iuues, obnixè à te petimus (Lector optime) ac ſummis votis exoptamus.*

Æquatoris designatio, vt hodie in cœlo imaginatur, & à reliquis circulis distingui potest.

HIC vbi Lanigerum prima de fronte salutat
Æquator, Ceti caput, atque pedes (propè) Tauri
Vrget: deinde ab eo medius resecatur Orion,
Et via Lactis: habes post hãc paruum fugientem,
Errãtémque Canem: longæ sequitur caput Hydræ:
Nec celeres, rapidósque pedes celabo Leonis:
Hæc secat Æquator, vel saltem singula tangit,
Extra Signiferum, ac ipsis in partibus Austri.
Hunc intra, rigidi Boreæ de parte, pererrat
Virginis ille idem corpus, necnon Ophinci:
Et cum Lacte, Aquilã cui Pegasus additur vnus
De capite, & cauda Delphinus, Piscis & alter:
Hic vbi Lanigerum repetit, quà venerat antè.

Partes Australes imaginũ octauæ Sphere, quas pererrat AEquator.

Partes Boreales, &c.

Meridiani & Horizontis designatio, vt hodie, &c.

SIgnari nequeunt in parte μεσημβρι@ vlla,
Et cœli visi, à non viso sector Horizon.
Ni sit de forma, quam paulò scripsimus antè:
Quod videas, nam sunt cycli plærunque fugaces.

Circuli duo fugaces in cœlo.

Coluri Æquinoctiorum designatio, vt hodie, &c.

CYclus hic, à summo nascẽtem vertice mũdum
Permeat, Arctophylaca petens, per terga Draconis:
Extremámque secans Hydrã, mediúmq; sub astris
Centaurum, aduersum rursus percurrit ad axem:
Hinc Cetum calcans, squamosáque tergora Ceti:
Necnõ Lanigerũ, & Libram, clarúmque Trigonũ:
Andromedæque sinus imos, fastigia matris:
Principiúmque suum, repetito hîc cardine, claudit.

Pulchra designatio Coluri AEquinoctialis.

Coluri Solstitiorũ designatio, vt hodie, &c.

ALter, in hunc mediũ summo procũbit ab axe,
Pérque pedes, necnon ceruicem trãsilit Vrsæ:
Quam septem Stellæ primam, mox Sole remoto,
Producunt, nigræ præbentem lumina nocti.
Hinc Geminis Cãcrũ dirimit: stringítque flagrãtẽ
Ore Canem: clauúmque ratis, quæ vicerat æquor.
Inde, axem occultum per gyri Signa prioris
Opposita, atque alio rursus de limite tangit
Te, Capricorne: tuísq;, Aquila, hîc te calcat ĩ astris:
Pérque Lyrã inuersam currẽs, spirásque Draconis,
Posteriora pedum Cynosuræ proterit illic:
Transuersam resecans vicino in cardine caudam.
Hîc vbi se claudit tãdem, memor vnde profectus.

Solstitialis circuli designatio in lõgũ Sphæræ.

Circuli Lactei, qui inter maiores cœli circulos à plærisque recēſetur, deſignatio pulcherrima, vt hodie in cœlo per ſerenas noctes ſpectatur.

Vnde dicatur circulus Lacteus.

CIrculus in cœlo manifeſtus nocte ſerena:
Necnon conſpicuo candore notabilis (ex quo
Lacteus Aſtronomis iuſta ratione vocatur)
Inter maiores cyclos plæriſque locatur.
Qui bene in aduerſum poſitas ſuccedit ad Arctos:
Et paulùm à Boreæ tractu ſua fila reducit:
Tranſitque inuerſæ per ſydera Caßiopeæ.
Inde per obliquum deſcendens tangit Olorem:
AEſtiuóſque ſecat fines, Telúmque, Aquilámque:
Temporáque æquantē cyclum, zonámque ferētem,
Solis equos, intra caudam, quà Scorpius ardet:
Atque Sagittiferi ſummū, extremúmque ſagittæ:
Thuribulum petit hinc (aram dixere vetuſti)
Deinde ſuos ſinuat flexus per crura, pedéſque
Centauri alterius: rurſusque aſcendere cœlum
Incipit: Argiuámque ratem per apluſtria ſumma,
Atque Canē à capite excipit: & cyclū Capricorni
Diſſecat: inde pedes lambit pulchros Geminorum:
Hîc vbi Signiferum rurſus perreptat: & vnum
Mox inuadit Erychthoniū: téque, vnde profectus,
Caßiopea petens, ſuper ipſum Perſea tranſit:
Orbémque ex illa cœptum, concludit in illa.

Elegans deſcriptio, & deſignatio circuli Lactei.

Cyclus hic, vt dixi, est candore notabilis: vnde
Non quærendus erit multùm: nam lumina pulsat
Sponte sua: seque ipse docet, cogitque videri.
Vtque suos arcus per nubila circinat Iris:
Mortalésque rapit pulchra ad spectacula sursum:
Sic super incumbens stellato in culmine limes
Candidulus, resupina facit mortalibus ora:
Hósque ad cœlorum miracula pertrahit vltro.

Lacteus circulus ex se cognitu facilis.

Ratio nomenclaturæ Lactei circuli, qui Græcis est γαλαξία.

NOn hîc celanda est famæ vulgata vetustas:
Olim de niueo lactis fluxisse liquorem
Pectore reginæ Diuûm: cœlúmque colore
Infecisse suo: quapropter Lacteus orbis
Dicitur: & nomen causa descendit ab ipsa.
An maior densa Stellarum turba corona
Contexit flammas, & multo lumine candet?
Ac fulgore nitet collato, & luce refusa?
An fortes animæ, dignatáque nomina cœlo,
Corporibus resoluta suis, & carcere fracto,
Huc remigrãt celeres: summúmq; habitãtia tẽplũ,
AEthereos viuunt annos, ac luce fruuntur?
An verò Phaëton currus auriga paterni
Pessimus, aërios tractus incendit, & illis
(In signum) genitor vestigia nota reliquit?
Sed nil hæc ad rem: vt cœpi, cœlestia tracto.

Poetica, sed erudita, de lacteo circulo ratio.

Alia.

Alia.

Alia.

❧Quatuor circulorum minorũ cœlestis Sphęræ, designationes, vt hodie in cœlo imaginantur: & per serenã noctẽ, ab aliis cœli circulis distingui possũt. Arctici in primis, siue Borealis.

Breuis Arctici circuli designatio.

ARcticus à Geminis vocitatus circulus Vrsis:
Ex toto Cynosuram includit: deinde Draconẽ
Partitur medium, Cephêúmque: ac Caßiopeam
Tantillum attingit: necnon rutilum caput Vrsæ
Maioris: quæ tota foras (si hoc excipis) errat.

❧Tropici Cancri designatio, vt hodie in cœlo imaginatur, & à reliquis circulis distingui potest.

Circuli AEstiualis cœlestis designatio.

PEr caput, & dorsum fertur transire Leonis
Cyclus hic: Arcturũ tãgens ad fœmina: necnõ
Serpentis rictum: poteris cui iungere ferme
Ex humero Engonasin, doctãq; Lyrã: addito Lactis
Deinde viam: Cygníque alam: cui Pegasus offert,
Obiectátque pedes: cubitũ hinc contingit, & angit
Andromedæ: et Piscẽ gelidas, q vergit ad Arctos:
Ac (propè) Deltωton: hinc Tauri cornua calcat,
Et Geminos: Cãcrum inde petens, quà cœperat ire.

❧Tropici Capricorni designatio, vt hodie, &c.

Designatur pulchrè Brumalis circulus.

AEgocerωta patrem cognoscit circulus iste:
Pérque pedes trãsit Fusoris, & illius vndam:

Hĭc Cetū à cauda, Eridanū, Leporémq;, Canémq;
Maiorem truncans: dehinc riuū Lactis, & Argo.
Hydram præterea magnam: cui desuper astant
Et Crater, Coruúsque: petit mox Scorpion illinc:
Atque Sagittiferi caput opprimit, ac ferit arcum:
Hic vbi curriculum cœptum concludere pergit.

Antarctici circuli designatio, vt hodie, &c.

NOn cōstat, nec scitur adhuc Antarcticus ipse
Circulus, vnde queat certò describier: et sunt
Qui Arctoum dicant per cūcta referre: quod vnū
Nos doceant, videántque (precor) qui partibus illis
Explorant pelago terras, cœlúmque remotum.

Incerta designatio Antarctici circuli.

Admonitio in iam dicta.

NOlim te lateat, quòd erunt aliquot reuolutis
Hinc seclis, omnes scripti posituśq;, situśque
Cyclorum cœli maiorum, siue minorum,
In longè varia Signorum parte, locóque
Quàm tibi sit dictum: nā sydera, quæ modò formas
Constituunt, per quas decurrit linea, cyclum
Perficiens, sedes commutant: quò fit, vt annis
Centum, cuncta gradu vno à sede priore recedant:
In motum cœli primum nitendo remissè,
Per longum (vt latum taceam) sed non violenter
Quod dicunt, potiùs cognatis viribus: in quo

Iam dictorū cyclorū loca tempore mutari.

Si perſtant, cyclos deſcriptos rite relinquent:
Inque locum venient Stellæ, veniéntque figuræ
Tunc aliæ, aut partes illarum (vt poſtulat ordo)
Hæc videat rerũ cœli ſtudioſus. *Quæ doctè poterunt cyclis aptarier ipſis,*
A quouis cœli hiſtoriam callente decenter.
Verùm, hæc ad noſtros legetur cura nepotes:
Et cœptum repetamus iter, fœlicibus aſtris.


Geographica, ex ſuperioribus pendentia.

Quinque zonarum terreſtrium, quæ totidem parallelis circulis in cœlo reſpondent, & præcipuas mundi regiones conſtituunt, deſcriptio, temperatura, ſitus, & proprietas, iuxta veterũ traditiones.


QVinque parallelis (vt ſcripſi) cingitur, atque
Diuiditur cœlum: totidémque plagæ orbe premuntur:
Mediæ zonę terreſtris téperatura, iuxta priſcorũ, & iuniorum ſententiam. *Quarum, quæ media eſt, vix eſt habitabilis æſtu:*
Monſtrorum domus, & feruore notabilis ipſo:
Vnde hîc vruntur, ſiccíſque teguntur arenis,
Deſerti tetro ſerpentum afflamine campi:
Vt tradunt veteres: contra quos pugnat, & inſtat
Horum qui migrant illuc ſententia, quíue
Per mare diſcurrunt variè, & noua regna ſalutãt.

Namque die, valido quod Phœbi incanduit æstu,
Humida nox reficit, paribúsque refrigerat horis:
Præsertim sub cyclo Æquante, & circiter illum:
Vt mox monstrabo, quiduis habitabile tradens.
Nix tegit alta duas: sed quæ inter vtrasq; locãtur, Extremę duę zonæ, & his propinquæ.
Temperiem retinent, mixta cum frigore flamma:
Fine, & principio paruam: ad medium, mediocrẽ:
Hãc nos incolimus, cõtráque Antichthones illam:
Nec dubium Antipodes multis consistere terræ
Partibus, ad centrum conuersis vndique plantis:
Quod norunt, rectéque sciunt, paßímque fatentur, Antipodes esse de experientia.
Qui soluunt ex occasu, veniúntque per ortum
Ad dites Indos, ac fama & nomine notam
Taprobanã, omnigenum rerum plenã, atque feracẽ,
Rursus in occasum redeuntes orbe peracto.
Necnon qui à Borea exploratis ordine zonis,
Austrino tentant axi supponere sese:
Quod dũ perficiunt, satagúntque explere, profectò
Quàm sit diuersa in rebus natura creandis,
Et quàm diuerso mutentur tempora tractu
Agnoscunt: seu mores, lucem, aut aëra spectas: Authoris libellus de locorũ naturis ex vario cœli aspectu.
Vt tibi conabor proprio monstrare libello,
Si Deus hosce mihi iuueniles proroget annos.


Quinque cœlestiũ Zonarũ, seu regionum, ad terrã coaptatio, & positus.



Zonarum temperatura & situs.



Elegans terreſtrium Zonarum pictura.



De Antipodibus, Periœcis, & Antœcis.

ANtipodas dicunt, qui nobis ex diametro
Plantas obuertunt ſimilique in vertice cœli
Perſtant: oppoſita quamuis in parte locentur:
Inque parallelis æquè ex Æquante remotis:
Queis cœli eſt facies valde contraria noſtræ:
(Vnus Finitor tamen, & communis Horizon)
Ex quo nobiſcum nil prorſum agnoſcimus eſſe
Illis commune: vt paucis te pergo docere
Cùm Sol Æſtatem nobis vehit, opprimit illos
Triſtis Hyems: quando lux periucunda, diéſque
Nos viſit, tenebræ ſomnos his vndique ſuadent:

Qui dicãtur Antipodes, & vbinam ſint.

Antipodas nobiſcum omnia habere cõtraria.

Dum nobis oritur Phœbus, tunc occidit illis:
Et contrà. Rursum quoties longissima nobis
Lux fulget cum nocte breui: longissima nox est
His cum luce breui: in summa, contraria seruant
Cuncta: licet fiant vna & simili ratione:
Vt tibi perdoctè diuina ars sphærica monstrat.

Qui dicãtur Periœci, & vbinam sint. Adhæc, quid nobiscũ habeant commune.

ILLE *solet rectè circuncola, vel* περίοικος
Astronomis dici, qui diuersatur in vno
Vsque parallelo nobiscum: státque sub vno
Rite μεσημερίῳ*: cum quo communia ferme*
Omnia sunt nobis: nam zonã habitamus eandem:
Séque polus mundi medium dat semper vtrique:
Hinc huic, & nobis discrimina quattuor anni,
Ac tempestates veniunt, paritérque, simúlque:
Necnon & noctis, lucísque augmenta sub vnum
Tempus, vt incrementa, cadunt: puto cætera nota.


Qui dicãtur Antœci, & vbinam sint. Adhæc, quid nobiscũ habeant commune.

ANTICOLAS *propria dixerunt voce Latini,*
Quos Græci ἀντοίκους*: qui supponuntur eidem*
Vsque μεσημερίῳ*, nobiscum collaterales*
Vltra Æquatorem: & spatium latum retinentes,
Necnon & longum, Boreali æquale per omne
Huic nostro, ad partes Austrinas: quò fit, vt illi
Tempora nobiscum paria affirmentur habere:
Verùm, non pariter, nec in iisdem partibus anni:
Nam dum nos exercet Hyems, hos æstus adurit:
Et contrà: variant sic partes temporis: vnde

Cùm media est nobis lux, his media est nox.
Et sic de reliquis: ne sim verbosior æquo.

Breuitas cum perspicuitate, authori familiaris.

Superiorum pictura elegans, & demonstratio.



ADMONITIO.

Vide pro his doctis.sphæræ mūdi interpretes.

Hic locus vmbrarum flexus exposceret omnes
Per modò descriptas zonas, vt postulat ordo,
Et sphæræ methodus: verùm, quia tradita sunt hæc
A multis stricta metrorum lege solutis,
Fusè, ac ornatè: visum est te mittere ad illos:
Otia donec erunt cum tempore libera nobis.

Terram vbique habitabilem esse, contra plærosque: ac nullas hodie terrestres Zonas, siue mundi partes & regiones, inhabitabiles dici debere.

Nihil in mūdo inhabitabile.

Credibile est, quòd terra habitatur tota: nec vllus
Est locus, aut Zona vlla, in qua nō viuere poßint
Mortales, aptásque sibi componere sedes:
Sit licet immodicum frigus, vel maximus æstus,
Illic aßiduè: natura vbi tristia fixit,
Læta adhibet: crebrò miscens aduersa secundis:
Atq; vbi dat morbos, medicamina debita gignit.

Immodicum æstum expugnantia.

Ergo, vbicunque calor nimius reperitur, ibidem
Vel gelidi montes, vel frigida flumina, & ædes,
Aut syluæ vmbriferæ, & multis cū fontib⁹ amnes,
Deinde specus multi, loca subterranea multa,
Hic sunt: quæ valeant homines defendere ab æstu.

Præterea, eſt illic ſemper nox æqua diei:
Quæ Solis radios æquato frigore frænat:
Vnde fit, vt Zonam mediam non eſſe putemus
Deſertam omnino: multos ſed habere colonos,
Arte, ac ingenio, & naturæ munere tutos.
Zonæ etiam extremæ (quas non habitarier aiunt,
Aßiduis niuibus preſſas, glaciéque perenni)
Poſſunt rite coli: vt ratio non lubrica ſuadet:
Maxima nanque locis lignorum copia in illis
Naſcitur: & fiunt illic hypocauſta, grauéſque
Veſtes, ex variis animantum pellibus: vnde
Frigora propulſant homines, hyemíque reſiſtunt:
Innumeríſque modis glacies eludere norunt.
Congrua non deſunt illis alimenta: cibóſque
Indigenas partim, partim illuc vndique vectos
Accipiunt largè: & quæcunque augere calorem
Internum, externúmue queunt, ſibi ſedulò quærũt.
Non igitur verum eſt, quod nos monuere vetuſti,
Vnius tantùm Zonæ partem, exiguámque,
Naturam humano generi tribuiſſe colendam:
Et reliquum terræ deſertum prorſus, ab ipſis
Piſcibus, atque feris duntaxat ſemper haberi.
Ah, foret indignum certè hoc: natura minoris
Feciſſet nos, quàm bruta: imperiúmque dediſſet
In terris maius quàm homini, & ſpatioſius illis.

Mediã Zonam, & item extremas inhabiles falſò dici.

Extremas mũdi Zonas incoli poſſe.

Immodicum frigus expugnantia.

Falſæ antiquorũ opiniones, de partibus mũdi habitatis.

Pulchra cõclusio, quod habitabilis sit totus mundus.

Quare, si qua fides adhibenda est, vera loquenti,
Haud dubiè tellus tota est habitabilis: & nil
Obstat, quin poßint mortales viuere vbique:
Naturæ auxilium in rebus non deficit vllis:
Ingeniúmque hominis durißima quæque refringit.

De mundi climatibus, & illorum distinctoribus parallelis, cum recepta cuiusque ratione, & nomenclatura. Insuper quòd plura climata, quàm septem statui debeant.

Quid propriè clima, & quomodo circũscribendum, ac distinguendũ.

CLimata dicuntur terræ interualla, duobus
Clausa parallelis, quib⁹ est descriptio sursum:
Sed similis fingenda tibi, & formanda deorsum:
Verùm, aliter quàm nunc de zonis egimus: vnde
Quisque parallelus horæ quadrante, propinquum
(Vt mediis horis clima) exuperátque, fugítque:
Si rectè numeres ex Æquatore, polorum
Alterutrum versus: qui solus, vbique diëi,
Et nocti gratis horas tribuit duodenas,
Dum Phœbus proprio motu comprenderit illum:
Sub quo rite locum medium, mediã quoque sedem
Mundi, constituũt, qui docta Mathemata tractãt.
Si placet Astronomos veteres audire, sequíque:
(Quorũ scripta velim summo tibi honore legẽda)
Duntaxat septem numerabis climata, tali


Ordo, & nomenclatura septem climatũ, secundum veteres Astronomos

Ordine: per Meroën, per Niliacámque Sienem:
Pérque Hellespontũ: atque Borysthenis ostia: pérq;
Riphæos monteis: quibus additur vltima Thule.
Inde, per ἀντίθεσιν contraria climata tradunt:
Queis dant imparibus spatiis noctésque, diésque.
At non te fugiet, nos rectè climata plura
Ponere: vt esse solent varia incrementa dierum:
Maiorem ergo diem vicenis, atque quaternis
Horis si cõstare dabis (qua parte polorum
Itur ad extrema) hic tu septem climata tantùm
Nõ tribues: sed, vt est par, vicena, atque quaterna:
Quæ, quantò propiùs veniũt ad vtrũque polorum,
Tantò crede minora: quòd hîc se Sphæra coarctet,
Atque, vt sic dicam, fastigiet: ac statuatur
Stricta: Æquatorem versus contraria pones
Ob mediũ: ad quod quæ accedunt, maiora vidẽtur.
Si per quot partes nunc à se climata distant,
Atque paralleli, vel ab Æquatore, reposcis:
Te ad libros mittã, quibus hæc mãdãtur ad vnguẽ:
Aut ad præclarum doctorem, perfacilémque:
Nam sunt quæ hîc scribi nequeunt, cõtenta doceri.

Ratio quòd plura climata quàm septem statui debeant.

Excusatio authoris sanéquam modesta.

Pictura septem mundi climatum, iuxta vulgarem modum.




Locorum longitudines quomodo excipiendæ, constituendæ, & distinguendæ.

Vbi primus Meridianus à quo longitudines locorum excipiuntur, & qualiter procedunt alii.

HIC ego te nolim demum nescire, quòd ipsa
Linea, quæ terras Fortunæ excurrit, ab axe
Extremo surgens, & in illum deinde (sed vno
Dissecto in geminas partes Æquante) recurrens,
Per summũ Antipodũ cœlũ, quà Sol venit ad nos,

Primum constituit, formátque μεσήμβριον: à quo
Promanare solet distantia longa locorum,
Si exortum versus properabis tramite recto:
Sic per vtrunque polum, quæ transit linea quæuis,
Pérque loci punctum, qui Zenith dicitur: illa
Hic propriũ signat, verúmque μεσήμβριον adfert:
Quem certum agnoscit telluris portio quæque.

Circulorum longitudinum typus, ac pictura.




Locorum latitudines quomodo excipiendæ, & distinguendæ.

ID spatium latũ est, quod ab AEquatore recedit
Ad Boreã sursum, vel ad Austrũ ponè, deorsũ,

Quid latitudo regionũ, & quomodo excipiatur.

Donec erit ventum ſub punctum verticis:ipſum
Siue parallelum, qui punctũ hoc trũcat ad vnguẽ:
Idq́ue poli gradibus reſpondet vbique leuati
In Finitoris faciem:cui nomen Horizon:
Sicut nos fuſe,& multis monſtrauimus anté.

Circulorum latitudinum typus,ac pictura.



De gradibus longitudinum Geographica quædam.

QVemque μεσημέριον cenſent ſuperare propinquum
Quindenis gradibus:qui reddunt protinus horæ
Vnius ſpatium:quantóque μεσήμβριος exit
Longiùs à medio noctes æquante,diéſque
Orbe:magis coïens geminũ anguſtatur ad axem.

De Meridianis notanda pro locorum longitudinibus.

In quo dum terras metiris, ſedulus eſto:
Et ſemel, ac iterum quæ ſit proportio quære,
Tantiſper dum nos meditabimur hoc tibi ſcriptũ.

Præcedentium typus, & demonſtratio.



(Ni fortasse polos versus, vel ad extima mundi)
Vni gradui magni circuli in cælo 500. stadia respondere. *Quingentis: si non Ptolemæus falsa notauit;*
Quē relegat, cui sunt præclara Mathemata cordi.
Sed mensurarum tu hic nomina fortè reposces:
Quæ magnos vsus, & maxima commoda, rebus
His adferre queunt: ne quid tibi iure negatum
Dicas, id paucis trado, doceóque libenter.

❧ *Pictura hæc, superiora vtcunque demonstrat.*



Geographicarum menſurarum ordo, & nomenclatura.

EX hordei granis Digitus fit quattuor vnus, Quid geographicus digitus.
In latum poſitis, ſeque attingentibus, ipſo
Præcipuè latere: vt res poſtulat, & iubet vſus.
In palmo digitus quater eſt: quater in pede palmus: Palmus.
Paſſum quinque pedes faciunt: paſſus quoque centū Pes. Paſſus.
Quinque ac viceni, ſtadium dant: mille, repoſtū eſt Stadium.
In ſtadiis octo: duplicatum dat tibi Leucam Miliare.
Noſtratem: aut duo (ſi mauis) bene millia: verùm Leuca.
Sunt hæc plus nimio: vel plus, quàm par ſit, abūdé.
Quicquid erit reliquum, viua tibi voce magiſter
Exponet: necnon doctiſſima ſcripta virorum,
Qui res cœlorum tractarunt ſydere fauſto:
Nam (vt ſuprà monui) nō omnia poſſumus omnes,
Nec quocunque loco poſſunt rectè omnia ſcribi.
Addo, quòd cœlis breuitas gratiſſima res eſt.
Plurima, quæ reſtant de Signis, déque Planetis, Authoris libelli iſti poetici de rebus cœleſtibus, propediē lucē videbunt.
Necnon de formis cœlorum, ſiue figuris
Vndique ſtellatis, abſoluam: dum modò doctis
Audiero primum hoc ſpecimē placuiſſe, boniſque:
Qui pauci ſunt: ſed paucis poſſum eſſe beatus:
Hi, ſi noſtra probant, ſatis eſt: quid ruſtica latret
Turba, parum curo: cuius laus, dedecus ingens γνώμη.
Perſonat: à doctis laudari, eſt gloria ſumma.

Ἀναγνώστῃ οὐκ ἀγεωμετρήτῳ, ἀφθόνῳ μετεωριζόμενος.

HIC, mundi faciem paucis ex ordine pinxi:
Quæ sit cœlorum fabrica, rite dedi.
Hanc, si fortè leges astrorum captus amore:
Sis memor authoris, qui regit illa, Dei.
Et si quid nosti meliùs, vel doctiùs: ἔα,
Candidus imperti: si minùs, ista feras.

ἐκ πόνου, ὁ κλεός.

FINIS LIBRI TERTII *& vltimi de mundi Sphæra, seu Cosmographia: authore Antonio Mizaldo Monluciano.*

Extraict du Priuilege.

IL eſt defendu à tous Imprimeurs,& Libraires de ce Royaume,ſinon à Guillaume Cauellat Libraire iuré de l'Vniuerſité:de Paris de non imprimer, ne faire imprimer, ny expoſer en vente, ce preſent liure intitulé, *Antonij Mizaldi Monluciani,de mundi Sphæra, ſeu Coſmographia libri tres,figuris,& demonſtrationibus illuſtrati*, iuſques au bout,& terme de dix ans conſecutifz : commenceants du iour & datte de la preſente impreſsion. Et ce ſur peine de confiſcation deſdictz liures,& d'amende arbitraire : ainſi que le tout eſt plus amplement contenu au Priuilege:ſur ce ottroyé,& donné à Paris le deuxieſme iour de Ianuier,Mil cinq cens cinquante.

Signé Buyer.

Pagina 22.poſt lineam 11.& verſum qui incipit,
Flammarum:adde hæc duo carmina omiſſa.
Tradita prôinde fuit ſedes ſublimior illi,
Necnon nobilior: veluti res poſcit,& ordo.